




1
7
373









DE INVICTA VERITATE ANNI, MENSIS, ET DIEI PASSIONIS, ET RESVRRECTIONIS CHRISTI DOMINI, EIVSQVE NATIVITATIS,

Ex vetustissimis SS. Patrum traditionibus, & Constitutionibus Apostolicis, totiusq; Ecclesiæ præceptis; Demonstrationibus Æquinoctiorum, Pleniluniorum, & Feriarum certissimis comprobata.

AVCTORE

FRANCISCO LEVERA ROMANO.





ROMÆ; MDCLXVIII.

EX TYPOGRAPHIA ANGELI BERNABO'.

SVPERIORVM PERMISSV.



EMINENTISSIMO PRINCIPI
IACOBO ROSPILIOSO
S. R. E. CARDINALI AMPLISS.



FRANCISCVS LEVERA FOELICITATEM.



NONVS iam elabitur annus, EMINENTISSIME PRINCEPS, ab Anno 1659. in quo (ſedente Alexandro VII. fel. rec.) inter alia à me peracta ſtudia ad maiorē Dei gloriam, & S. Romanæ Eccleſiæ honorem, ei obtuli ſtudium de vero die, menſe, & anno Paſſionis, ac Reſurrectionis Chriſti Domini; cuius temporis veritas tantoperè cordi ſemper fuit vniuerſis Chriſti fidelibus, pijſq; Viris totius Orbis Chriſtiani, vt nedùm ſuſpirijs, ſed etiam lachrymis illud adinuenire maximo deſiderio flagrarint: eò autem deuentum erat, vt propter tot diuerſas, multiplicesſque Hiſtoricorum, Chronologorum, Aſtronomorumq; eximiorum promulgatas opiniones inuicem diſſentiētes non ſolùm in anno; verùm etiam in menſe, ac die menſis, tùm mortis, tùm Reſurrectionis Chriſti, ſpe prorſus deſtituti, hoc ſeculorum ſuorum infortunium

amarissimè deplorarent: Posteriores namq; Historici, Chronologi, & Astronomi celebriores, inter quos Vgolinus Martellus Episcopus Glandeuensis, & Marcellus Francolinus in suo Tract. de temp. Horar. Canonic. cap. 74. num. 24. pag. 376. in eam iuerunt sententiam, vt non absque arcano diuino tam alti Mysterij tempus in obscuro esse videretur. Mirabantur enim incessanti quodam stupore correpti, *Passionis diem in amplissima Vrbe peractam, Principibus totius Hierosolymæ Viris id procurantibus, & per calumniam, plebis seditionem, & Prouinciæ rebellionem intentantibus, Pilato Preside Romano Ius pro Tribunali dicente, cuncto* Populo *acclamante, & inspectante, signis etiam in Cœlo, & in Terra datis horrendis, in ambiguo tamen adhuc esse*. Et Henricus Spondanus in Epitome Annalium Baronij ad annum Domini 34. num. 45. *De mense* (inquit) *quo passus est Christus ferè omnium fuit sententia esse mensem Martij, paucissimorum Aprilis: sed quota potissimùm die Martij, quàmuis antiquorum nonnulli 25. dixerint; tamen cùm Tabulæ astronomicæ non his æquè consentiant, eædemq; admodùm inter se diuersæ tradantur, Viri harum facultatum consultissimi, desperatione penitùs superati, rem inabsolutam reliquere*. Veruntamen temporum plenitudine adueniente posteaquàm diù iacuit in tenebris sepultum meum hoc studium de vero tempore Passionis & Resurrectionis Christi, vt patet in cap. 13. Indicis meorum Operum; dùm alia à me pariter oblata studia super anni coelestis vera Magnitudine, temporibusq; Æquinoctiorum, & Plenilуniorum paschalium, atque integra anni Gregoriani Perfectione, ac Inuariabilitate perpetua, eiusdemq; Intro-

troductione in vniuerſo Orbe Chriſtiano,ſeriò examinarentur: Anno labente nono ab Anno Chriſti 1659. poſt diuturnas tenebras,Aduentus Summi Pontificatus & Imperij CLEMENTIS NONI,Patrui TVI, lucem, ſplendoremq; apud omnes Chriſti fideles rutilantem illicò ei prænunciauit. Illa namque corona virtutum, nempè Charitatis, Pietatis, Beneficentiæ, & Magnificentiæ,quibus inclyta Progenies ROSPILIOSA condecoratur, & per quas clementiſſimus Patruus TVVS eſt totus Amor, totus Pietas, totus Magnificentia; immò id quod in hiſce virtutibus pulchrius, & excellentius exiſtit, nimirùm earum vera forma,& exemplar; ideò ad excelſum Nauiculæ Petri Regimen ſuperno virtutum omnium Fonte Deo aſpirante fœliciter ipſum duxit, vt ad Populorum ſubleuamen, pacem, & Eccleſiæ tranquillitatem affluentiùs & copioſiùs illas exercere valeret. Cùm itaque agatur de re altiſſimi Myſterij, nimirùm de vero tempore Redemptionis humani Generis, de quo ſcripſerunt quamplures egregij Viri, & inter alios,vt vetuſtiores òmittam,Paulus Middelburgenſis Epiſcopus Forosempronienſis ad Maximilianum I. Imperatorem de die Paſſionis Chriſti; & ad Leonem X. Pont. Max. de recta Paſchatis celebratione,& dictus Marcellus ad Gregorium XIII. P.O.M. & ad Carolum S.R.E. Cardinalem Borromæum: Propterea hanc in abſcondito latentem meam elucubrationem, enucleationemq; diù exoptatiſſimã de vero anno, menſe, & die Paſſionis ac Reſurrectionis Ieſu Chriſti, iure merito conſecrare decreui TVÆ Pietati, TVISQVE heroicis virtu-

tibus


tibus, quibus iam in Ecclesia fulges clarissimi luminis instar, quibus etiam Patruum TVVM CLEMENTEM IX. in dies generosiùs imitaris, & quodammodò æmularis; illum (inquam) CLEMENTEM, qui à diuina Prouidentia post S. Clementem I. Pont. Max. non solùm videtur Ecclesiæ datus tanquàm Executor Constitutionis Apost. dicti B. Clementis I. iubentis *diem Paschę accuratè, & cum omni diligentia obseruandum esse post Aequinoctium vernum, &c.* sed potissimùm tanquàm Deo carissimus propter suarum virtutum indefessa exercitamenta in subsidium pauperum, & Reipublicæ Christianæ prosperitatem, eaque supra mensuram Legum, & sacr. Canonum, ac Conciliorum, de quibus in *c. Quatuor.* & in *c. Mos est* 12. *Quęst.* 1. tùm ex generosæ Indolis, atque excelsi animi dotibus, tùm à Disciplina, qua fuit optimè institutus; & qui per eadem virtutum exercitia eam foelicitatem assecutus fuit, quæ pignus est æternæ gloriæ; quoniam vera foelicitas non consistit (etiam ex Aristotele in cap. 8. Lib. 1. Moral. & Lib. 7. Politic. cap. 1.) in Fortunæ bonis, sed in præstantissimis animi dotibus, & virtutibus, earumque actibus, & habitibus, vsuq; perenni; ita vt à Clementia, quæ Iustitiæ cognata est, & à Magnificentia sua CLEMENS MAGNVS in cunctis seculis meritò sit nuncupandus. Has autem regias virtutes, earumq; vsus prope diuinos iam diù præsensisse visus est Christianorum Regum, & S. R. E. Principum vniuersus Coetus, cui in aperto erant excelsæ animi dotes, actusq; singularis Magnanimitatis indices gloriosissimi Patrui TVI in Hispania; TVI verò
in

in Belgio, & Gallia; & ſpectatiſſimi TVI Genitoris CAMILLI in Patria, & potiſſimùm ſuæ Charitatis, Hoſpitalitatis, ac Pietatis actus ſingulares: ita vt ſoli Patruo TVO magnificentiſſimo, & prouidentiſſimo conuenire videretur, vt eſſet ſupremus totius Eccleſiæ Rector; & Genitori TVO, Pater pauperum, vnà cum optimo ſuo germano fratre; TIBI verò, vt onus Patrui TVI redderes leue, & iugum ſuaue, & cum adminiſtratione rerum publicarum eidem iucũdum ſubleuamen fores. Intereà TIBI, EMINENTISSIME PRINCEPS, ad grandiora, & magnificentiora natus, viam ad illa præclariùs in dies parant & præſagiunt mores, actuſque, & opera TVA miram Pietatem, Charitatem, Prudentiam, & Prouidentiam redolentia, & ſingillatim erga Viros in laudandarum Artium omnium doctrina egregiè verſatos: Hoc autem ſtudium meum de vero tempore Redemptionis humani Generis animi TVI Celſitudini gratum, & iucundum fore cenſeo, non ſolùm propter Myſterij magnitudinem incomparabilem; verùm etiam quia inexpectata huius exoptatiſſimi temporis adinuentio Regnante CLEMENTE IX. eſt etiam gloria ſeculi noſtri, Regniq; ſui, & inclyti TVI Patrocinij memoria ſempiterna. Demùm ego tot admirandarum TVARVM virtutum ſummus venerator, & EMINENTIÆ TVÆ ſeruus obſequentiſſimus, exoro illum, cuius in Terris vigilantiſſimus Patruus TVVS vices gerit, vt ſplendidam Progeniem ROSPILIOSAM ſeruet tam diù ſaluam, & incolumem, quàm diù Eccleſia permanebit. Romæ Kalendis Auguſti Anno 1668.

Imprimatur:

Si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiepisc. Vrbin. Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Mag.

DE



DE INVICTA VERITATE

Anni, menſis, & diei Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti Domini, eiuſq: Natiuitatis.



VM inter ſtudia Eccleſiaſtica exoptatiſſimum ſit illud de anno, menſe, & die menſis Paſſionis, ac Reſurrectionis Chriſti Domini: Propterea dilucidato legitimo tẽpore celebrationis ſacri Paſchatis in vniuerſo Orbe Chriſtiano, conſentaneum rationi videbatur; vt de vero anno, menſe, & die menſis Paſſionis, ac Reſurrectionis Chriſti IESV; nimirùm Redemptionis humani Generis, eſſet quoque diſquiſitio noſtra circa opiniones poſteriorum, recentiorumque Authorum contrarias priſcis, prioribuſque Eccleſiæ Catholicæ Sanctionibus, Pontificijſque Decretis; eiuſque Veritatis per hiſtoricas, & aſtronomicas rationes inuincibilis Demonſtratio.

Vetuſta SS. Patrum omnium Sententia fuit à primis Eccleſiæ temporibus Chriſtum Dominum paſſum fuiſſe in menſe Martio, vt videre

est in Epitome Annalium Ecclesiasticorum Saliani ibi; *Communissima est, fuitque omnium Christianorum ab initio Ecclesiæ in seculis omnibus repetita confirmataque sententia Christum Dominum mense Martio crucifixum, in eumque Nisan primum Hebræorum mensem incidisse, cuius decima-quarta Luna excunte ad Vesperam Christus Agnum Paschalem comedit &c.* Item in Belgio Romano Ecclesiastico Ægidij Bucherij lib. 4. cap. 7. pag. 137. ibi; *Ante omnia Christum Martio mense passum vnanimis & constans est Patrum antiquorum opinio vsque adeò, vt vix vnus aliter sentire videatur &c.* Idemque recenset Suarez in tertiam partem Summæ D. Thomæ disp. 40 sect. 5. pag. 441. Quod ita verum est, vt cùm secundum euangelicam doctrinam Christus crucifixus fuerit in feria sexta; propterea non solùm singulæ feriæ sextæ mensis Martij sacræ nuncupatæ sint, & vti tales semper ex inueterata consuetudine veneratæ fuerint, sed etiam eadem feria sexta veneretur à Christi-fidelibus in toto anno singulis hebdomadis annorum omnium; & idcircò feria sexta, seu dies Veneris propter Christi passionem fuerit, & sit dies abstinentiæ, & mœstitiæ; quemadmodùm dies Dominicus propter Christi Resurrectionem, dies est exultationis & lætitiæ.

Rursùs indubitata est totius Ecclesiæ sententia ex euangelica doctrina crucifixionem Christi

Do-

Domini fuisse in Plenilunio; nimirùm in decima-quinta Lunæ, ipsa lumine plenissima existente, & in dicta feria sexta, idest in die Veneris; & die Dominico, seu prima Sabbati resurrexisse, vt inter alios (dimisso S. Dionysio Areopagita in epist. 7. ad Policarpum, & in epist. 11. ad Apollophanem) sępè repetit venerabilis Beda in diuersis locis, & speciatim in libro de Ration. temp. cap. 45. dum ait: *Nam quòd Dominus decima-quinta Luna, feria sexta crucem ascenderit, & vna Sabbatorum, idest die Dominica resurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare Catholico; nè Legi pariter & Euangelio videatur incredulus.*

Et quoniam inter SS. Patres diuersa est opinio de die mensis Martij, in quo Christus passus est, quæ dubietas originem principaliter duxit; eo quòd in Astronomia, eiusque praxi in supputandis Pleniluniorum, & Æquinoctiorum temporibus parum versati plerùmque viderentur: Propterea primò ponderandum est, quænam pars SS. Patrum, & numero, & authoritate prętet alteri parti; secundò dilucidandum in quo die mensis Martij, & in quo anno fuerit Plenilunium in dicta feria sexta, seu die Veneris: Etenim probato per demonstrationes astronomicas in supremum gradum certissimas, quòd dies Plenilunij inciderit in dicto mense Martio, & in dicta feria sexta, seu die Veneris, tunc manifesta

erit dies mensis Martij, in qua crucifixus fuit Christus Dominus, & cum eo die notus consequenter erit annus; quo anno, & die mensis cognito, consequenter cognoscentur reliqui anni & dies mensis Martij, in quibus existimatum est Christum Dominum fuisse crucifixum, minimè præstare posse veram Christi Domini crucifixionem.

Exordium itaq; sumentes ab examine SS. Patrum inter se dissentientiũ de die Passionis Christi Domini in mense Martio; primò sese offert Concilium Cęsareense iussu Sancti Victoris I. Pont. Max. Romani congregatum contra Quartadecimanos Anno à Natiuitate Christi Domini 196. & ab eius Passione 162. in quo præfuit S. Theophilus Episcopus Cęsareensis, vbi decretum fuit Christum Dominum decimo Calendas Aprilis, seu Martij vigesimo-tertio passum fuisse; & octauo Calendas Aprilis, seu die vigesima-quinta Martij resurrexisse; vti legitur in eius epistola synodica, quam vnà cum cęteris non solùm Palestinæ, sed etiam permultis aliarum Regionum Episcopis disputans de Paschate scripsit aduersus eos, qui decima-quarta Luna cum Iudæis Pascha celebrabant; quæ epistola est apud Bedam in tomo 2. suorum Operum. In quo SS. Patrum Concilio duo notanda sunt; nempè primò quòd fuerint Apostolorum æuo proximi, & quòd Ieroso-

roſolymam, vicinaque loca incolentes ibidem geſta probè viderunt, & ſciuerunt; quæ conditiones in SS. Patribus poſterioribus, & minimè ſuper hac re conuocatis, & congregatis defecerunt.

Hoc autem Decretum Concilij Cæſareenſis ſequutus eſt Euſebius Cæſareenſis in omnimoda historia Canonum Chronicorum, qui floruit Anno Chriſti 300. cuius ſequens fragmentum refert Anaſtaſius Anthiochenus in libro variarum quęſtionum, vt recenſet Franciſcus Turrianus in explanatione cap. 16. lib. 5. Conſtitut. Apoſtolic. Beati Clementis I. Romani Pont. Max. *poſtquàm* (inquit) *vmbroſum Paſcha cum Diſcipulis ſuis comedit, & Paſcha authoritatis pręcipuę introduxit quinto die hebdomadis, qui erat Lunæ decimus-quartus, menſis verò Martij vigeſimus-ſecundus Indictione 15. ipſa eadem nocte, in eiuſdem menſis diem vigeſimum-tertium ferente, traditus eſt, ac illo ipſo die crucifixus; reſurrexit vigeſimo-quinto, die Dominico.*

Eandem ſententiam de dicta die 23. Martij, & die 25. Reſurrectionis Chriſti Domini tenet Beda in libro de Ration. temp. cap. 65. & in libro de ſex ætatibus Mundi, ſeu Chronicon, qui floruit Anno Chriſti 730. circiter: Et Sanctus Auguſtinus in ſermone 22. de Temp. qui eſt de Natiuitate Domini 18. Et pariter Græci omnes, & inter ipſos Nicetas, & alij, quos refert Paulus Middelburgenſis Epiſcopus Foroſempronienſis in 2.

parte

parte suæ Paulinæ lib. 5. cap. 1. 2. 4. & 8. nimirùm Lactantius Firmianus in lib. 4. Diuin. Institut. cap. 10. Cuius sententiam contra dictum Paulum Middelburgensem, & Michaelem Tomasium strenuè defendit Marcellus Francolinus in suo tract. de temp. hor. can. cap. 73. à num. 3. vsque ad 19. & à pag. 364. vsque ad 369. Item Ado Viennensis in Breuiario Chronicorum ætate prima. Et Nicephorus Gregora in lib. 8. Historiæ Byzantinæ pag. 260. ibi; *eò igitur Plenilunio Pascha Iudæi immolarunt, eo Æquinoctium fuit, eo & Seruator noster mortem pro nobis oppetijt; omnibus notum est tertium fuisse diem post legis illud festum, quo Dominus noster à morte resurrexit mensis Martij die 25.*

Eiusdem quoque sententiæ fuit S. Anselmus Cantuariensis in Comment. super Matthæo cap. 27. vel quicumq; alius fuerit author dictorum Commentariorum, qui floruit Anno Christi 1090 circiter ibi; *Altera autem die, quæ est post Parasceue.* Et in lib. 2. de Imagin. Mundi cap. 17. vbi inquit, *Vernale Æquinoctium non octauo, sed duodecimo Kalendas Aprilis habendum Lex, & Euangelium clamat, vt horologij manifestè inspectio probat; secundum enim legem non licuit Pascha ante Aequinoctium celebrari: Qui autem Euangelium diligenter legerit, Dominum non octauo, sed decimo Kalendas Aprilis passum videbit. Si ergo octauo Calendas Aprilis*

est

eſt Aquinoctium, tunc Dominus contra legem Paſcha ante Aequinoctium celebrauit, qui legem non ſoluere, ſed implere venit: ſed & Iudæi contra patrium morem geſſerunt; quia Paſcha in inconuenienti termino egerunt: Veruntamen cùm horum neutrum fuerit, tranſacto duodecimo Kalendas Aprilis Aequinoctio, Dominus ſolito more Paſcha cum Iudęis vndecimo Calendas Aprilis celebrauit; paſchali die, quod erat 10. *Kalend. Aprilis, ſuo ſanguine nos redemit, octauo Calendas reſurrexit.* De qua Sancti Anſelmi ſententia vberrimè tractat Marcellus Francolinus in cap. 68. à nu. 12. vſque ad 25. ſui Tractatus de tempore hor. can. à pag. 340. vſque ad 345. & ſpeciatim num. 24. Idem tenuere veteres Galli, & Tuſci, qui quocumque die octauus Kalendarum Aprilis fuiſſet, nēpè dies 25. menſis Martij, vbi Chriſti Domini Reſurrectio fuit ſecundum Sanctæ Eccleſiæ traditiones, & dicti Concilij Cæſareenſis, ſemper Paſcha celebrabant, vt refert Beda in libro de Ration. tēp. cap. 45. & Paulus Middelburgenſis in 2. parte Paulinæ lib. 5. cap. 2. Denique inter recentiores Ægidius Bucherius in dicto Belgio Romano Eccleſiaſtico cap. 7. lib. 4. pag. 137. inhærens Decreto prædicti Concilij Cæſareenſis. Et deindè Dionyſius Petauius in Rationar. temp. parte 1. lib. 5. cap. 1. pag. 204. vltimæ editionis. Demùm Henricus Spondanus in Epitome Annalium Baronij ad annum Domini 34. num. 45. *De menſe* (in-

quit

quit) *quo passus est Christus ferè omnium fuit sententia esse mensem Martij, paucissimorum Aprilis: sed quota potissimùm die Martij, quàmuis antiquorum nonnulli 25. dixerint; tamen cùm Tabulę astronomicæ non his ęquè consentiant, eędemque admodùm inter se diuersæ tradantur, Viri harum facultatum consultissimi, desperatione penitùs superati, rem inabsolutam reliquere. Si verò consulatur antiquitas, reperimus in prædicto Concilio Cæsareensi sub Theophilo, eius Ciuitatis Episcopo, tempore Victoris Romani Pontificis passum Dominum ab vndecimo Calendas Aprilis, qua nocte à Iudæis traditus est, & octauo Calendas resurrexisse.* Vt etiam notat Henricus Philippi in quæstionibus chronologicis cap. 22. num. 14. pag. 102.

Qui verò senserunt Christum fuisse crucifixũ eodem mense Martio, sed in alio die quàm 23. eiusdem mensis Martij, sunt sequentes; nempè primò Quartadecimani, qui ex actis Pilati se comperijsse iactabant Christũ fuisse crucifixũ die 25. mensis Martij Luna decima-quarta: Et Beatus Epiphanius aduersus hæreses hæres. 50. & 51. contra Tessarescædecatitas, qui florebat Anno Christi 380. circiter, sensit Christum passum fuisse die 20. mensis Martij reprobans eorum opinionem, qui dicunt ipsum esse passum vigesima-quinta die Martij. Sanctus verò Augustinus qui floruit Anno Christi 400. in lib. 4. de Trinitate cap. 5. num. 18. & de Ciuitate Dei cap. vlt. &

lib.

lib. 83. quæst. 56. tenet, quòd Christus mortuus fuerit die 25. Martij, quem sequitur D. Thomas super Ioanne cap. 2. Et Antoninus, Tertullianus, Platina, Vsuardus, ac alij; & hanc sententiam refert etiam ven. Beda cap. 28. & 45. libri ration. temp. At Victorinus Lemouicensis, qui vixit circa annum Domini 460. sensit Christum fuisse crucifixum die 26. Martij; & nonnulli alij, de quibus Beda in libro Ratio. temp. cap. 59. ibi; *vbi primùm Dominicus Resurrectionis Christi dies fuerit, variè refertur, & quidam octauo Kalendarum Aprilium, sed alij sexto, nonnulli quinto Calendarum earumdem die fuisse asseuerant*. Similiter nonnullos ex Latinis refert, qui senserunt Christum passum esse vndecimo Kalend. Aprilis, idest vigesima-secunda die Martij. Item Paulus Middelburgensis in 2. parte suæ Paulinæ lib. 5. cap. 1. nullum tamen ibi nominat, qui fuerit huius opinionis. Denique inter recentiores Franciscus Maurolycus in Martyrologio scribit, quòd Christus passus fuerit die vigesima sexta Martij; & cum eo Onuphrius in Chronico Ecclesiastico sub anno Christi 34. & dictus Paulus Middelburgensis in 2. parte suæ Paulinæ lib. 14. cap. 2. reprobatis omnium aliorum opinionibus concludit tandem Christum esse passum die 30. mensis Martij.

Cùm ergo authoritate, numero, & communicatione procul dubio præcellat præfatum Con-

cilium Cæſareenſe, omneſq; ei adhærentes veteres Græci, Galli, & Tuſci; ſanè poſt eos aliter ſentientes Patres & Doctores, qui (vt vidimus) neq; congregati, nec vnanimiter, ſed diſiunctim & diuerſimodè ſenſerunt de diebus menſis Martij; recedendum à prioribus minimè eſt, non ſolùm vt antiquioribus, ſed etiam velut æuo Apoſtolorum longè proximioribus, & Iudeæ vicinioribus, magiſque informatis propter dictam temporis & loci vicinitatem, & ad huius rei determinationem præciſè conuocatis, & coadunatis.

Verùm hic diſſenſus inter SS. Patres poſteriores prædictos à prioribus & vetuſtioribus facilè ad veritatem reduci poteſt; nam cùm indubitatum ſit Chriſtum mortuum eſſe in Plenilunio, nimirùm in decima-quinta, die Lunæ menſis Martij, in quo dictum Plenilunium fuerit, illudque in feria ſexta, veram diem crucifixionis rectè affirmauiſſe, neceſſariò concludendum eſt.

Quoniam igitur tria tantùm fuerunt Plenilunia, eaque paſchalia in menſe Martio ab anno Chriſti 30. labente vſque ad annum eiuſdem 36. laben. vt manifeſtum eſt à ſupputationibus Aſtronomorum omnium, qui ea Plenilunia ſupputauerunt; inter quos Paulus Epiſcopus Foroſempronienſis, Ioannes Lucidus, Ioannes Stofflerus, Petrus Pitatus, Franciſcus Iunctinus, Chronicon Alexandrinum apud Raderum, & Henri-

cum

cum Philippi, Ricciolus apud Manfredum in Vindicijs Calend. Greg. Intra quod ſexennium indubium eſt incidiſſe Chriſti Paſſionem; & primum Pleniluniũ paſchale in anno ætatis Domini 31. labente, ſecundum in anno eiuſdem 34. laben. & tertium in anno illius 36. labente, & in vno tantùm ex his tribus neceſſariò Chriſtus Dominus ſit crucifixus; quia manifeſtum eſt ipſum nec ante ætatis ſuæ annum 30. neque poſt annum 36. fuiſſe mortuum. Propterea cùm locum habere non potuerit eius Paſſio in die Plenilunij anni 31. ſuæ ætatis lab. nec in die Plenilunij anni ſui 36. laben. neceſſariò conſequitur eum fuiſſe paſſum die Plenilunij anni ſui 34. labentis.

Quòd autem Paſſio Chriſti non inciderit in die Plenilunij paſchalis anni 31. labentis ſuę ætatis, probatur; quia Chriſtus Dominus cùm fuerit baptizatus à Ioanne, quando erat annorum 30. incipiens, veluti legitur in Euangelio ſecundum Lucam cap. 3. & num. 23. & deindè, *poſt vnũ à recepto Baptiſmo annum, aquam in vinum in nuptijs conuerterit, & ſecuta ſint tria* Paſchata, *quæ à Ioãne Euangeliſta cap. 5. 6. & 12. memorantur rebus geſtis diſtincta; neceſſe eſt anni* Paſſionis *initium eſſe principium trigeſimi-quarti vitæ Chriſti Domini noſtri*; vt notat Salianus in Epitome Annalium Eccleſiaſticorum ſub anno Chriſti 34. & cũ eo Abraham Bucholcerus, de quo infra, &c. Prætereà

Plenilunium illud, quàmuis fuerit paſchale, nẽpè poſt Æquinoctium die 26. Martij ſecundum ſupputationem Pauli Epiſcopi Foroſempronien. in lib. 7. ſecundæ part. ſuæ Paulinæ, & ſecundum alios die 27. Martij, neutrum eorum fuit in die Veneris; ſed alterum in die Lunæ, vt ſupputat dictus Paulus, alterum in die Martis ſecundum alios Computatores.

Pariter quòd Paſſio Chriſti non fuerit in die Plenilunij paſchalis anni 36. laben. ſuæ ætatis, quod contigit ſecundum eiuſdem Pauli Epiſcopi Foroſempronienſis loco ſupra citato in die 30. Martij dicti anni 36. Chriſti labentis, etiam ſi in die Veneris, plenè probat Ioannes Lucidus in Opuſc. *de vero die Paſsionis Chriſti* cap. 11. pag. 186. & ſequen. Inter alia namque abſurdum ſequeretur contra euangelicam veritatem ſupra expoſitam; quòd Chriſtus prædicationi non dediſſet operam tribus annis poſt Baptiſmum, ſed annis ſex; cùm Chriſtus non ſolùm ſecundum Euangelium Lucæ cap. 3. num. 23. verùm etiam ſecundum præfatum Paulum Middelburgenſem in lib. 4. ſecundæ part. ſuæ Paulinæ baptizatus fuerit anno 30. ſuæ ætatis, vt dictum eſt. Inſuper aliud abſurdum ſequeretur; quòd cùm dictus Paulus Middelburgenſis nouam introduxerit opinionem in ſua Paulina, quòd annus, qui communiter exiſtimatur Chriſti 36. verè fuerit

an-

annus eius 34. Supputatio per eumdem Paulum facta motuum cœleſtium Solis & Lunæ competentium Plenilunio dicti anni Chriſti 36. fuerit prorſùs erronea,& minimè cōueniens Plenilunio anni Chriſti 34. vbi non fuit Plenilunium die 30. Martij, ſed die 23. eiuſdem menſis Martij; & conſequenter ſequeretur Chriſtum natum non fuiſſe anno 45. ſed anno 47. Iulij Cæſaris, quod eſt etiam contra eiuſdem Pauli ſententiam,& aſtronomicas ſupputationes eiuſdem, per quas probauit Iulium Cæſarem emendaſſe Calendarium anno 45. ante Chriſti Natiuitatem; & ideò cùm natus fuerit anno 45. Iuliano, ſequeretur quòd paſſus fuiſſet anno 36. non autem anno 34. vt ſibi contrarius ſupponit dictus Paulus; & demùm ſequeretur, quòd Chriſtus baptizatus anno 15. Tyberij Cæſaris, vt conſtat etiam ex dicto Euangelio Lucæ, tunc non fuiſſet annorum 30. ſed annorum 28. quod penitùs eſt contra euangelicam veritatem, & contra veram ſupputationem Eccleſiæ. Demùm vt animaduertit Langius lib. 2. de annis Chriſti parte 2. cap. 6. cùm Chriſtus paſſus fuerit ſub Pontio Pilato, vt patet ex Euangelio,Pilatus non erat in Iudæa dicto anno Chriſti 36. ſed Romam miſſus fuerat à Vitellio Proconſule Syrię ad ſe purgandum ab accuſationibus coram Tyberio, & ſubſtitutus ei fuerat Marcellus,qui interfuit celebrationi Paſchatis Iudæo-

rum

rum Ierosolymis anno illo 36. Quæ absurda magis procedunt contra nonnullos alios modernos, qui ad pauciora respicientes somniarunt Christum fuisse crucifixum annorum 40. suæ ætatis, vbi decem anni prædicationis effluxissent, quod enormiter falsum est, & vbi non fuit Pleniluniũ in mense Martio post Æquinoctium; inter quos Ioannes Iacobus Hainlinus in sua Chronologia mystica à pag. 50. ad 57. & pag. 117. sentiens Christum fuisse natum anno Iuliano 49. & esse crucifixum anno Iuliano 79. veluti cum Scaligero firmat pag. 56. quàmuis secundum alias suas supputationes mysticas ibidem affirmet Christum fuisse passum anno ætatis suæ mystico 42. & anno 34. ab Epocha christiana, qua vtitur Ecclesia; concludens in dicta pag. 50. Christum Dominum verè natum esse sex annis ante dictã Æram christianam, ac proindè Annum Christi 1646. dicendum esse 1652. accedens propè vanæ pariter opinioni Laurentij Susligæ, quem refert Kepplerus in sua sylua chronologica, qui sensit deesse quatuor, aut quinque annos dictæ Epochæ christianæ vsitatæ. Minus verò accedit eis Scaliger, qui in prima editione libri de Emend. temp. vnum annum addendum esse censuit Epochæ Dionysianæ, seu christianæ, qua vtitur Ecclesia: In secunda verò editione vacillans statuit addendos esse duos annos, ac proindè annum

Chri-

Chriſti 1597. dicendum eſſe 1599. Sed quoniam huiuſcemodi opiniones reiectæ ſunt ab alijs recẽtioribus Theologis, Chronologis, & Aſtronomis, & à Petauio in lib. 12. de Doctrina temp. cap. 6. pag. 415. & 416. & in Ration. temp. part. 2. lib. 4. cap. 1. ſpeciatim contra M. Antonium Cappellum, prædictorum ſectatorem, differentem de Cœna Chriſti ſuprema cap. 5. Quapropter talia tanquàm contra hiſtoricam, & aſtronomicam veritatem (quæ vnica eſt) enormiter pugnantia, & ſibi inuicẽ contraria, ac penitùs erronea, dimittimus: Vnius verò anni ad minus æquiuocatio à nonnullis Chronologis probatioribus facta in Æra communi Natiuitatis Chriſti Domini, non tam orta eſt ab Æra Dionyſiana à principio ſumpta ab Incarnatione, & non à Natiuitate Chriſti, quàm à mutatione in Æra Natiuitatis Chriſti numerationis anni biſſextilis verè competentis Radici, ſeu Æræ Iulij Cæſaris, de qua plenè infra dicemus, vbi ſermo erit de feria diei Natiuitatis Chriſti. Quòd autem anno Chriſti 34. labente Chriſtus Dominus paſſus fuerit, colligitur etiam à Plenilunijs ſupputatis in Chronico Alexandrino, vbi anno poſt quàm Chriſtus baptizatus eſt, Paſcha Iudæorum incidit in die 27. Martij, & anno ſequenti in die 15. Aprilis, & deindè in anno ſequenti 4. Aprilis; licet moderni non ſecundum Cyclos lunares, ſed ſecundum Tabulas aſtro-

tro-

tronomicas accuratiùs supputent in die 3. Aprilis anni 33. Christi labentis: successiuè anno Christi 34. Pascha Iudæorum fuit in die 23. Martij; in quo Christum passum legitur in eodẽ Chronico pag. 535. editionis Raderi. Anno demùm primo post Christi ad Coelos ascẽsum legitur ibidẽ Apostolos die XI. Aprilis celebrasse Pascha, & die 13. Xantici, seu Aprilis Sanctam Christi Resurrectionem, vt notat Henricus Philippi in Quæstionibus chronologicis cap. 20. num. 2. licet illud Chronicon Alexandrinum erroribus turbatum censeat.

Remanet ergo Plenilunium anni Christi 34. labentis, in quo necessariò consequitur, vt Christus Dominus passus fuerit; quia ex deductis plenè constat, quòd in nullo alio Plenilunio mensis Martij dictorum annorum 31. & 36. Christi, eius Passio esse potuerit. Cùm autem Plenilunium illud anni Christi 34. factum fuerit in die 23. Martij secundum omnes Astronomos, eorumque Tabulas; igitur in ea die 23. Martij crucifixus est Christus Dominus, & non in alia die mensis Martij. Illi ergo SS. Patres & Doctores, qui affirmarunt Christum in crucem actum fuisse die 23. Martij, vbi fuit Luna plenissima, nempè eius dies decima-quinta; ipsi sunt, qui rectè senserunt de vero die Passionis Christi Domini. Quòd autem Plenilunium anni Christi 34. laben-

bentis fuerit dicta die 23. mensis Martij, supputauit etiam Paulus Episcopus Forosemproniensis in lib. 7. part. 2. suæ Paulinæ ibi, *Anno autem Domini 34. currente, Luna decima-quinta paschalis mensis iuxta medium cursum, quo Hebræi utuntur ad Ciuitatem Sanctam Hierusalem, fuit die 23. Martij feria tertia, scilicet die Martis; nam anno prędicto Cyclus lunaris, quo Hebręi utuntur, fuit 13. quare necesse est annum communem fuisse duodecim lunationum dumtaxat. Cuius primi mensis Nouilunium secundum medium motum ad Ciuitatem sanctam Hierusalem fuit in nocte sequente octaua die Martij hor. 11. min. 1. secund. 5. eiusque oppositio, quam decimam-quintam paschalem vocant, fuit die 23. Martij hor. 5. min 23. secund. 7. Cùmque Cyclus solaris huius anni fuerit 15. necesse est literam Dominicalem fuisse* C. *& quia in directo diei 23. Martij in Romano Calendario signatur* E. *sequitur 23. Martij fuisse diē Martis; quamobrem necesse est decimam-quintam Lunam paschalem fuisse 23. Martij die Martis. Idem continget, si ad veros* Planetarum *motus supputationem nostram reduxerimus; fuit namque vera Luminarium primi mensis coniunctio diebus ęquatis ad meridianum Ciuitatis sanctæ Hierusalem die* 8. *Martij completa hor. 19. min. 21. die Martis: vera quoque oppositio, & decima-quinta paschalis mensis fuit die 23. Martij hor. 6. min. 59, die Martis post Solis occasum.* Tamen errat primò, quia anno Christi 34. labente Cy-

clus Lunæ Iudæorum minimè fuit 13. vt putat dictus Paulus, neque fuit 16. vt putant alij ex Scaligero in lib. 4. de emend. temp. pag. 333. secundæ edit. sed fuit Cyclus Lunæ 17. & ideò annus Embolismus sextus; secundò errat, quia dies dicti Plenilunij non fuit Martis, sed Veneris, vt infra demonstrabitur. Similiter Franciscus Iunctinus in Comment. in sphær. Ioannis Sacroboschi cap. 4. pag. 398. supputat Plenilunium anni Christi 34. fuisse die Martis 23. Martij hor. 5. min. 23. post meridiem Ierosolymis. Pariter Ioãnes Iacobus Hainlinus in sua Synopsi mathematica in praxi Astronomiæ problem. 9. affirmat, *Plenilunium anni Christi 34. fuisse die 23. Martij, & quòd pro paschali haberi posset; quia incidit post Aequinoctium Veris, quod fuit eo anno die 22. Martij hor. 2. p. m.* Tamen propter erroneam suam existimationem, quòd Iudæi Plenilunium illud pro paschali non habuerint; quia tempore Christi communis opinio esset Æquinoctium Veris fieri in die 25. Martij, non censuit illud fuisse paschale, sed erroneè conuersus est ad Plenilunium mensis Aprilis eiusdem anni, quod neque fuit in die 23. Aprilis, neque in feria sexta; in hoc etiam vacillans cum Scaligero. Item Petrus Pitatus in Compendio super annua solaris, & lunaris quantitate in Tract. 2. conclus. 3. vbi disserit de anno, & die Passionis Christi. Itemque Ioannes Stof-

fleri-

ſlerinus in ſuo Calendario Romano, & Ioannes Lucidus in Opuſc. *de vero die Paſſionis Chriſti* cap. 9. pag. 179. & 180.

Nihili autem releuant quæcumque argumenta congerantur contra Plenilunium illud anni Chriſti 34. labentis, quòd nimirùm non fuerit paſchale; quia velimus, vel nolimus, cogimur fateri Chriſtum Dominum illo Plenilunio, quod factum eſt die 23. Martij hor. 5. ferè p. m. Ieroſolymæ, & cuius Nouilunium præcedens fuit die 8. Martij hor. 12. min. 43. p. m. Ieroſolymæ ſecundum tabulas Tychonicas dicto anno Chriſti 34. in crucem actum fuiſſe, & impoſſibile eſſe quòd in alio Plenilunio menſis Martij alterius anni ab anno 30. vſque ad 36. ætatis Chriſti, ipſe crucifixus fuerit, vt demonſtratiuè viſum eſt per euangelicam doctrinam, & per aſtronomicam veritatem temporis Pleniluniorum inuincibilem cuius veritatis iudicium, vt firmat etiam Suarez in tertiam partem Summæ D. Thomæ diſp. 40. ſect. 5. pag. 441. in fine, pendet vel ab humana hiſtoria, vel à Tabulis aſtronomicis.

Rursùs quòd Paſſio Chriſti fuerit anno eius 34. labente, concludit Salianus vbi ſupra in Epitome Annalium Eccleſiaſticorum, & cum eo Honuphrius Panuinus in Chronico Eccleſiaſtico; quàmuis eum in crucem actum fuiſſe putet die 25. menſis Martij, quod impoſſibile eſt; quia

mortuus fuisset extra Plenilunium, non autem in die Plenilunij, quod fuit dicta die 23. Martij. Similiter Baronius in Annalibus Ecclesiasticis firmat Christum passum fuisse anno ætatis suæ 34. inter 22. & 26. Martij, qui annus fuit 18. Imperij Tyberij Cæsaris; sed verè crucifixus est dicta die 23. Martij, in qua Plenilunium incidit. Pariter Abraham Bucholcerus in Indice Chronologico emendato, à pag. 148. ad 151. confirmat Christum passum esse anno ætatis suæ 34. labente, dum à primo anno prædicationis incipiens inquit à pag. 148.

An. Christi 31. lab. *PRIMUM PASCHA anni primi prædicationis Christi, Ioan. 2.*

Christus Caupones è Templo eijcit, & editis multis signis primùm inclarescit.

Colloquium Christi cum Nicodemo.

Christus Ioanne nondum capto profectus in reliquã Iudæam ab Hierosolymis docet, & baptizat per Discipulos, Ioan. 3. redit ex Iudæa in Galilæam, vbi transiens per Samariam colloquitur cum Samaritana ad fontem: in Cana Galilææ sanat filium Reguli.

Carcer Ioannis.

Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes solemniter vocantur à Christo.

Reliquæ historiæ miraculorum Christi petantur ex Euangelistarum narrationibus.

Ad hunc annum pertinere videntur pleræque historiæ,

riæ, & conciones descriptæ à Matheo cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Marc. 1. 2. Luc. 4. 5. 6. Ioan. 1. 2. 3. 4.

SECVNDVM PASCHA Luc. 6. Math. 12. Marc. 2. vbi Discipuli octauo die à Paschate vellunt spicas. An. Christi 32. lab.

Ioannes è carcere ad Christum 2. legatos mittit, Math. 11. Luc. 7.

Decollatio Ioannis anno ætatis 32.

Christus sanat hominem, qui 38. annis decubuerat, Ioan. 5.

Miraculum quinque panum, descriptum ab omnibus Euangelistis.

Concio Christi in Capernaum, Ioan. 6.

Filius Viduæ in Nain, & filia Iairi resuscitati.

Apostoli mittuntur à Christo ad prædicandum Euãgelium.

Ad hunc annum pertinere videntur pleræque historiæ, Math. cap. 12. 13. 14. 15. 16. Marc. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Luc. 6. 7. 8. Ioan. 5. 6.

TERTIVM PASCHA Ioan. 6. circa hoc Pascha incipit 490. annus hebdomadum Danielis, qui finitur anno sequenti circa tempus mortis, & Resurrectionis Christi. An. Christi 33. lab.

Transfiguratio Christi in monte sancto Math. 17. Marc. 9. Luc. 9. 2. Pet. 1.

Iter Christi postremum in Iudæam plenum miraculis.

Ad hunc annum pertinere videntur pleræque narra-

tiones

tiones, Math. 17. 18. 19. 20. Marc. 9. 10. Luc. 9. 10. 13. 17. 18. 19. Ioan. 7. 8. 9. 10.

An. Christi 34. Iab. QVARTVM PASCHA, in quo Christus factus est Pascha nostrum, de quo omnes Euangelistæ.

Mortem Christi antecesserunt sequentes historiæ.

Resuscitatio Lazari paucis diebus ante Pascha, Ioan. 11.

Sabbato, die sexto ante Pascha, Christus cœnat in domo Simonis Leprosi, & vngitur à Maria Magdalena, Ioan. 12.

Dominica, die Palmarum, ingreditur Hierosolymam insidens Asino, Math. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. 12.

Die Lunæ maledicit ficui, Math. 21. Marc. 11.

Die Martis videt ficum arefactam, Marc. 11.

Die Mercurij Iudas paciscitur cum Iudæis deliberantibus de necando Christo biduò ante Pascha, Math. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Die Iouis, primo die azymorum, ablegantur à Domino duo Discipuli paraturi Pascha. Sub vesperam edit Dominus cum Discipulis Agnum paschalem. Veteris Testamenti Pascha abrogatur à Christo, instituente in locum illius sacro-sanctam noui Testamenti COENAM. Lotio pedum. Longa concio Christi ad Discipulos descripta à Ioanne cap. 14. 15. 16. 17.

Die Veneris historia Passionis, & mortis Domini nostri Iesu Christi.

Sabbato, Sabbatum Christi in sepulcro.

Do-

Dominica, RESVRRECTIO Domini nostri ex morte die tertia.

Acta Apostolorum descripta à Luca incipiunt, & capitibus 28. historiam annorum circiter 26. complectuntur, ab Ascensione nimirùm Domini vsque ad an. Christi 59. Neronis 4.

ASCENSIO Domini in Cælum die 40. à Resurrectione.

Mathiæ Apostoli electio in locum Iudæ proditoris Act. 1.

Finis hebdomadarum Danielis.

Prima PENTECOSTE noui Testamenti; in qua visibili specie in Apostolos effusus est Spiritus Sanctus ad propagandam Euangelij doctrinam in toto Orbe.

Denique Henricus Philippi in Quæstionibus chronologicis de annis nati & passi Saluatoris Anno 1630. editis, in cap. 15. num. 1. pag. 68. de anno, in quo Christus passus est, sic ait: *Communissima sententia est, Christum Dominum nostrum ad Crucis supplicium venisse expleto iam 33. ætatis suæ anno, & 34. à tribus circiter mensibus inchoato.* Adducens Salmeronem tom. 1. in Comment. in euangelicam historiam Prolegomeno 38. de vera Christi ætate, Assert. 11. vbi latissimè; deindè Cardinales Baronium, & Bellarminum, Spõdanum, Samerium, Torniellum, Gordonum, Salianum, Barradium, Ioannem Marianam

hanc

hanc rem ex professo examinantes. Et idem Henricus in cap. 20. num. 3. pag. 91. & 92. ibi: *Clariùs easdem de anno Passionis notas habet Synodus sub sancto Victore Papa Cæsareę Palestinæ celebrata, Pręside Theophilo eiusdem Ciuitatis Episcopo, vt narrat Beda lib. de ration. temp. cap. 45. 49. 65. Et opusculo de Aequinoctio verno. Passus est, ait Synodus, Dominus ab xj. Calendas Aprilis, qua nocte à Iudæis traditus est, & ad viij. Calendas resurrexit. Ita enim legendum docent Salmeron, Delckerius, Suarius, Petauius cum Lyrano, Gerlando, Francolino; & admittit Spondanus, ex eo quòd Patres illius Concilij à termino paschali diem 22. Martij minimè exclusam voluerint, quia illa die Christum peracta Cœna mystica Passionem inchoasse censebant. Qui Euangelium diligenter legerit, Dominum non viij. sed x. Calendas Aprilis passum videbit; inquit S. Anselmus de Imagine mundi cap. 17. Idem sensisse Anastasium Anthiochenum ex Eusebio Cæsareensi refert; nec refutat Posseuinus contra Chytræum sect. 4. cap. 2. Idem habet Hyppolitus in Chronico; & Gerlandus Lotharingus insignis Calculator, teste Paulo Foro-Semproniensi. Huc etiam propendet Apollinaris Laodicenus apud Hieronimum in cap. 9. Danielis; cùm post Christi Passionem sex annos Tyberij enumerat, nisi fortè accipiat annos Olympiadicos emergentes. Hac opinione imbuti fuisse videntur olim Galli, Cappadoces, veteres Græci, & Thusci, qui vt ex Epiphanio aduertit Deckerius, Pascha*

cha Resurrectionis non nisi 25. *Martij celebrabant, cuius causa alia reddi nequit, quàm quòd ea die Christum ad vitam redijsse sibi persuaderent.* Et idem Henricus Philippi in cap. 21. num. 1. pag. 93. repetit: *Christum* Opt. Max. *salutem nobis sua Passione operatum anno ętatis suę* 34. *ante tres circiter menses inchoato, accurata computatione tradit Baronius, Spondanus, Torniellus, Serarius. Ratio est, quòd communior, & verior sit eorum computus, qui Christum anno* 42. *Augusti natum, ętatis suę* 33. *absoluto mortuum existimant; quę meo iudicio non est infirma: errorem enim ijs omnibus impingere, qui Natalem Domini ad annum* 42. *Augusti referunt, duriusculum videtur: Christum etiam ad* 34. *ætatis suę annum ante mortem suam peruenisse, tot tantique authores, hoc pręsertim tempore, sententijs antiquorum diligenter consideratis docent, vt nesciam qua fronte tanquàm improbabilis reijci possit, aut debeat &c.* Demùm in Chronico Alexandrino pag. 535. editionis Raderi hęc leguntur: *Versatus est autem Christus nobiscum in terris, morborum, languorumque omnis generis mala curauit annos* 33. *menses tres; quarto verò anno comprahensus, & in crucem sublatus mense Phamenoth* 29. *hoc est* 23. *Martij, die decimo-quarto Lunę, cùm esset* Parasceue: *surrexit post triduum* Pharmuthi *primo, die Dominico, hoc est* 25. *Martij*.

Et quàmuis plures senserint Christum passum fuisse anno 33. ætatis suæ labente, inter quos

S.Epiphanius, qui ſcripſit paſſum fuiſſe anno 32. completo cum diebus 74. in lib. 1. Hæreſ. 20. Iudaiſm. & hæreſi 51. quem ſequuntur Toſtatus, Lucidus, Lyranus, Victor Lemouicenſis, Driedo, Canus, Pererius, quos refert dictus Henricus Philippi in dicto cap. 15. num. 3. & nonnullos alios; qui, non conſtat, an voluerint annum Chriſti 33. completum, vt Abbas Veſpergenſis, Vincentius, Regino, Comeſtor, qui in cap. 33. Euãgelij ait: *duas eſſe de Chriſti ætate* (*cùm pateretur*) *opiniones; quoſdam ei tunc* 33. *annos, quoſdam* 34. *inchoatos tribuere*. Item illi authores, quos refert Salmeron de vera Chriſti ætate, Prolegom. 38. pag. 450. ibi: *Poſtremo loco ſunt multi præclari authores, qui Chriſtum* 33. *ętatis ſuę anno currente crucifixum ſcribunt*; inter quos vltra præfatos à dicto Henrico nominatos, eſt Marianus Scotus, & Paulus Burgenſis; tamen impoſſibile eſt, vt anno 33. Chriſti lab. inciderit eius Paſſio; quia idem Epiphanius firmat illam fuiſſe in menſe Martio die 20. & 22. Martij reſurrexiſſe, & Nouilunium eo anno fuit ſecundum tabulas aſtronomicas die 19. Martij in grad. 25. & min. 52. Piſcium ante Æquinoctium; & ideò minimè paſchale: Plenilunium verò die 3. Aprilis in grad. 11. min. 25. Arietis, & Libræ ſecundum eaſdem tabulas aſtronomicas probatiores, in quo menſe Aprilis iam viſum eſt Chriſtum minimè paſſum fuiſſe ex

SS.Pa-

SS. Patrũ omnium vetuſtiſſima ſententia; immò damnata opinio eorum, qui ſcripſerunt Chriſtũ paſſum fuiſſe in menſe Aprilis, vt infra videbitur. Et mirum non eſt, quia idem Epiphanius exiſtimauit quoque Chriſtum baptizatum fuiſſe in Iordane fluuio anno ætatis 30. die 8. Nouembris, & natum fuiſſe die 6. Ianuarij, licet Eccleſia dictum Baptiſmum Chriſti fuiſſe die 6. Ianuarij cenſeat, & celebret, & Natiuitatem eiuſdẽ die 25. Decembris.

Similiter omnis dubietas Theologorum, & Chronologorum circa diem Paſſionis Chriſti, an fuerit die 23. an die 25. Martij, remouetur per aſtronomicas demonſtrationes Pleniluniorum, & Æquinoctiorum, ac Feriarum in ſupremum gradum certiſſimas & inuincibiles, vt fatetur etiam Suarez in tertiam partem Summæ D. Thomæ diſp. 40. ſect. 5. pag. 441. in fine ſectionis; dimiſſis rationibus, & veriſimilitudinibus per ambiguas, & incertas indagationes temporis Olympiadum, Conſulum, Imperatorum, Iulij Cæſaris, Octauiani, Tyberij, & Neronis, ac Martyrij Apoſtolorum, atque excidij Ieroſolymæ, & ſimilium, in quibus plerùmque annus labens ſumitur pro completo, & completus pro labente; & quandoque error etiam extenditur ad duos, & tres annos, à quibus nulla vnquàm dari poteſt certitudo anni, nec menſis, neque diei menſis, nec feriæ di-

ctorum Consulatuum, Imperiorum, ac Martyriorum, gestorumque insignium; quia etiam dictorum annorum principia sunt admodùm diuersa inter se in mensibus, & diebus; ac proindè quæruntur certa per incertiora, & obscuriora: *Neque enim*, vt ait dictus Henricus Philippi in cap. 19. suarum Quæstion. chronologic. num. 9. pag. 88. *vim vllam habet multitudo authorum, qui ad 25. Martij Passionem referunt, sicut neque contra accuratam annorum Christi enumerationem, roboris quicquam habet multò maior Scriptorum numerus æra Christi vulgarem iam ab annis mille circiter vsurpantium: vulgaris enim computandi modus non aduersatur supputationi mathematicę, siuè naturali, qua rerum & temporum notationes non ad vsum dumtaxat vitæ communis applicantur; sed quando reipsa fuerunt, describuntur.* Neque suspicandum, vt suspicari videtur idem Henricus in cap. vlt. num. 14. pag. 107. de bonis (vt ait) authoribus, qui Christum passum fuisse affirmant in die 23. Martij, si non satisfaciũt illis sex punctis ab ipso notatis in pag. 104. eiusdem cap. vlt. nimirùm an Christus natus fuerit anno 41. aut 42. Octauiani Augusti, & an anno Vrbis conditæ 751. an 752. anno secundo, aut tertio Olymp. 194. & an anno 28. an 29. à morte Cleopatræ; & an Christus baptizatus fuerit annorum 30. an 31 inchoato, & vtrùm anno suæ ætatis 33. siuè incœpto, siuè absoluto passus

fue-

fuerit? nam illicò ab Astronomiæ fontibus præclarissimis omnem deposuisset ambiguitatem, & sciuisset impossibile esse Christum fuisse crucifixum die 25. Martij anno suæ ætatis 34. labente; quia cùm crucifixus fuerit in Plenilunio, Plenilunium eo anno fuit die 23. Martij, & non die 25. ergo die 23. & non 25. dicti mensis Martij fuit crucifixus. Pariter impossibile est, vt passus fuerit anno 33. suæ ætatis labente, quia Plenilunium eo anno, vt modò visum est, fuit die 3. Aprilis: Et ideò cùm notissimum iam sit Christum passum esse in Plenilunio mensis Martij; ergo passus non est anno 33. vbi Plenilunium paschale non fuit in mense Martij, sed Aprilis, vt patet superiùs.

Et licet opus non sit defendere Iudæos, an eo anno Christi 34. ritè, & rectè celebrarint Pascha, vel ratione Æquinoctij verni, vel ratione decimæ-quartæ Lunæ; cùm nobis sufficiat, quòd Christus Dominus illam celebrauerit cum Discipulis suis secundum Legem die Iouis decima-quarta Lunæ de sero, quæ fuit dies ante suam crucifixionem, & die Veneris decima-quinta Lunæ cruci fuerit affixus Luna plenissima existente; quam etiam vidit S. Dionysius Areopagita: attamen ex superabundanti, & ad satisfaciendum curiositati multorum, silentio prætereunda non sunt ea, quæ de tempore Æquinoctij

æuo

æuo Christi scripta reperiuntur etiam à priscis. Sed primò prætermittendum nõ est, quòd Ægyptij erant sapientes in scientia motuum cœlestium Solis & Lunæ, non ita verò Iudæi; & quòd Æquinoctia, nimirùm ingressus Solis in primum signi Arietis punctum, sunt oculis inuisibilia; quàmuis non ita Plenilunia & Nouilunia, quæ de sui natura oculis sese exhibent videnda. Item quòd Moyses, in præcepto celebrationis Paschæ à Populo Hebræo obseruandæ tempore Veris, & in Plenilunio, optimè cognouerit insufficientiam popularem ad perfectam cognitionem diei Æquinoctiorum, Nouiluniorum, & Pleniluniorum; ideò cùm Hebræi vterentur anno lunari Soli alligato à temporibus, sub quibus Chaldæos Dominos agnouerunt, vt testatur Scaliger in lib. 2. de emend. temp. pag. 79. primæ edit. vbi de Cyclo Iudæorum; quia adhuc etiam ipsorum menses nuncupantur nominibus Chaldaicis, ac proindè cùm Cyclis lunaribus vterentur, per quos fiunt reuersiones eorumdem Nouiluniorum & Pleniluniorum in eodem signo & gradu circiter Zodiaci, sub quo factæ fuerunt vel singulis 8. annis præcedentibus, vel singulis etiam 19. annis solaribus completis præcedentibus: Moyses in noua illa anni institutione normam eisdem tribuit cognoscendi tempus Æquinoctij Veris, dum dixit Populo Israelitico in Deuteronomio cap. 16.

Obser-

Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase Domino Deo tuo; quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte &c. Et in cap. 23. & 34. Exodi. Dedit etiam regulam dignoscendi Plenilunium; dum in eodem Exodo cap. 12. legitur, *Loquutus est Dominus ad Moysem, & Aaron in terra Aegypti sic: Mensis iste, vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni, loquimini ad vniuersum cœtum Israel, & dicite eis; decima die mensis huius tollat vnusquisque Agnum per familias, & domos suas &c.* Et infrà: *Seruabitis eum vsque ad quartam-decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Et in cap. 28. Numeri ait; *Mense autem primo quarta-decima die mensis Phase Domini erit, & quinta-decima die solemnitas.* Dixit Moyses ad vesperam, vt significaret Populo principium huius solemnitatis faciendum esse in decima-quarta die Lunæ dicti primi mēsis nouarum frugum ad vesperam completa circa Solis occasum, vbi more Hebræorum incipiebat, & desinebat dies (quia prima Lunæ lux à vespera mundum irradiauit, sicut prima lux Solis à manè, vt legitur in Genesi) solemnitas verò successiuè facienda in die decima-quinta Lunę dicti primi mensis, vbi nimirùm Luna est lumine plena, & testis in Cœlo fidelis dictæ solemnitatis celebrandæ singulis annis, vt in Psalm. 88.

Rudi

Rudi sanè Populo regula, & methodus facilior dari non poterat à Moyse, tam pro cognitione temporis Æquinoctij verni, quàm pro die Plenilunij infallibiliter includendo à principio vsque ad finem dictæ solemnitatis; cùm Plenilunia modò fiant in decima-quarta die Lunæ à Nouilunio circiter completa, modò in decima-quinta die à Nouilunio pariter circumcirca completa; & non semper ita præcisè, vt decima-quarta dies Lunæ perpetuò esse debeat Plenilunium. Numerabant autem Hebræi Nouilunia à Luna primò visa, & vtebantur Cyclis ad tempora dictorum Nouiluniorum, & Pleniluniorum præcognoscenda, vt latè refert Scaliger in lib. 4. de emend. temp. vbi de emendatione periodorum lunariũ à pag. 325. secundæ edit. Quæ primæ visiones Lunæ, & Cycli lunares, vt notoriè imperfecti, præstare minimè valent præcisa Nouilunia; sed crassa tantùm Minerua, vt notat etiam Bucherius de Iudaico mense Nisan in dicto cap. 7. lib. 4. Belgij Romani Ecclesiastici num. 3. ibi, *Mensium enim, dierumque lunarium magis incerta, vagaque ratio est, varium, dubiumque principium dierum; item numerus ac certitudo vacillantior, siuè illos ex Lunæ visione, siuè ex Cyclo artificiali stabilias &c.* Nec Moyses alligauit Populum ad fragmenta dierum, nempè ad horas Æquinoctiorum, & Pleniluniorum; sed ad dies integros tantùm, ac proindè à peccato mo-

rali

rali erant liberi, licet non à phyſico, ſeu aſtronomico, vt Bucherius vbi ſupra num. 5. Et proptereà non ſunt exigendæ celebrationes paſchales à Iudæis ita adamuſſim ſemper factæ, vt minimè vnquàm errare potuerint, neque errauerint, ac ſi doctiſſimi ſemper fuiſſent in ſcientia motuũ Solis, & Lunæ, dieique, & horæ Æquinoctiorum omnium, ac Pleniluniorum ſingulorum annorum primi eorũ menſis Niſan in cunctis ſeculis hucuſque præteritis; nam Socrates in lib. 5. hiſtoriarum Eccleſiaſticarum, & Sozomenus lib. 7. cap. 18. Et Nicephor. lib. 12. cap. 32. & 33. referunt Iudæos, quàmuis antiquitùs legitimo tempore feſtum Paſchæ celebrauerint; tamen poſtmodùm à recta illius celebratione excidiſſe. Et Francolinus in Tract. de temp. hor. can. cap. 77. & 78. pag. 396.

Prętermittendum ſecundò non eſt, quòd cùm Æquinoctium cœleſte verum neceſſariò in duobus diebus circumagatur, pro vt annus ciuilis cõmunis eſt, vel biſſextilis; ac proindè conſequatur, vt ſi in anno communi fiat Æquinoctium in die 25. Martij, idem Æquinoctium fiet in anno biſſextili die 24. eiuſdem: Et proptereà cùm tempore Hipparchi Æquinoctium Veris, ſecundum obſeruationes ab ipſo factas ab anno ante Chriſti Domini aduentum 160. vſque ad 128. circiter, fieret die 24. & 25. dicti menſis Martij; & tem-

pore Ptolemæi, nimirùm ab anno 132. Christi vsque ad 140. fieret in die 21. & 22. mensis Martij; ergo patet, quòd tempore Christi intermedio ferè inter Hipparchum, & Ptolæmeũ fieret Æquinoctium in die 22. & 23. dicti mensis Martij: Et ideò secundum Rabbi Adda, qui vixit tempore Constantini Magni Imperatoris, & qui ordinauit Calendarium Hebraicum, ac tradidit regulas pro adinueniendis Tekuphis, seu reuersionibus Æquinoctiorum, Æquinoctia tempore Christi Domini ibi fiebant. Et pariter secundum Paulum Middelburgensem, qui supputauit Plenilunia ab anno primo Incarnationis Domini, vsque ad annos 90. eiusdem, tùm per Cyclum Iudæorum, tùm per tabulas astronomicas, & qui selegit inter ea lunationes omnes paschales, quæ fuerunt à dicto primo anno Christi vsque ad sexagesimum eiusdem, manifestum est illa Plenilunia paschalia modò incidisse in die 23. mensis Martij, velut anno ætatis Christi 15. & 34. labente; modò in die 22. mensis Martij, sicut in anno ætatis Christi 7. & 53. labente, vt videre est in lib. 7. cap. 1. & 2. & in lib. 8. cap. 4. secundæ partis suæ Paulinæ.

Inter priscos verò SS. Patres S. Clemens I. Pont. Max. anno sexagesimo circiter post mortẽ Christi scriptum reliquit in lib. 5. cap. 18. Constitutionum Apostolicarum, quòd Æquinoctium

ver-

verni temporis tunc erat in die 22. menſis Martij, dum inquit; *vos autem obſeruate ſubtiliter Aequinoctium verni temporis, quod eſt 22. duodecimi menſis, qui dicitur Diſtrus*; nimirùm 22. noſtri menſis Martij, vt affirmat Euſebius Cæſareenſis in Lib. hiſt. Eccleſ. cap. vlt. ex ſententia S. Anatolij Laodiceni Epiſcopi, qui floruit anno Chriſti 280. circiter ſub Imperatore Probo; Nam dies 22. menſis Diſtri ſecundum Macedones, eſt 26. menſis Phamenoth ſecũdum Ægyptios, & vndecimo Calendas Aprilis ſecundum Romanos, & proindè dies 22. menſis Martij, velut etiam optimè declarat Beda in lib. de Ration. temp. cap. 12. vbi agit de menſibus Græcorum, & in Libro de celebratione Paſchæ, ſeu de Æquinoctio vernali, latiùs Sancti Anatolij ſententiam pertractat, & defendit contra eos, qui in ſecundo ipſius Libro de Paſcha pro vndecimo Kalendarum Aprilium, corruptè legebant octauo Kalendarum Apriliũ, & impoſturam detegit non ſolùm authoritate dicti Euſebij Cæſareenſis, ſed etiam Victoris Capuanæ vrbis Antiſtitis, & Dionyſij Exigui. Prædictam autem Conſtitutionem Sancti Clementis Leruditè defendit etiam Marcellus Frãcolinus in Tract. de temp. hor. canon. cap. 75. à num. 6. vſque ad 14. pag. 380. & 381.

Secundò manifeſtum eſt ex decreto dicti Sac. Cõcilij Cæſareenſis, nempè per ea, quæ leguntur

in dicta Epiſtola ſynodica de terminis Paſchæ, de qua ſupra, quæ impreſſa eſt inter opera venerabilis Bedæ Tom.2.in fine, in qua Sãctus Theophilus, poſtquàm Synodus ſtatuiſſet celebrationem Paſchæ non niſi in die Dominica, in qua Chriſtus reſurrexit, poſt Æquinoctium vernum eſſe faciendam, atque Epiſcopi cæteri determinatè dixiſſent ab octauo Calendas Aprilis, in quo Æquinoctium eſſe aſſerebant, ſumendum eſſe principium paſchalis obſeruationis; ipſe iudicans tres alios dies huic termino adijciendos eſſe, ita vt ab vndecimo die kalendarum Aprilium Paſchæ initium ſumeretur; hæc verba protulit: *Ecce impium eſt, vt Paſſio Dominica tanti Sacramenti Myſterium extra limitem excludatur; paſſus namque Dominus ab vndecimo Kalendarum Aprilium, qua nocte à Iudæis traditus eſt, & ab octauo Kalendas reſurrexit: Quomodò ergo tres dies extra terminum excludentur? Omnes Epiſcopi dixerunt; nulla ratione fieri debet, vt tantum Sacramentum extra limitem excludatur; ſed hi tres dies intra terminũ inducantur, & deſubter retrahere conſtitutum eſt; ergo in illa Synodo ab vndecimo Kalendarum Aprilium vſque ad vndecimum Kalendarum Majarum Paſcha debeat ſeruari, & nec ante, nec poſt cuicunque conſtitutum limitem tranſgredi liceat.* Theophilus enim tanquàm Vir apprimè eruditus vel à peritis Mathematicis, vel à proprijs obſeruationibus, non ignorabat Æquinoctiũ

fieri

fieri in die circiter 22. Martij, non autem in die 25. vt refert etiam Marcellus Francolinus in dicto Tract. cap. 77. num. 5. pag. 391. & quandam opinionem Pauli Middelburgensis egregiè reijcit in cap. 74. num. 3. 4. & 5. pag. 372.

Tertiò secundum Sanctum Epiphanium in Panario hæres. 51. contra hæresim, quæ non suscipit Euangelium Ioannis, & Apocalipsim, ait: *Christum resurrexisse 22. die mensis Martij, qua erat Aequinoctium; quo comperiuntur* (inquit) *omnes mentiri, qui non sunt filij veritatis.* Cui S. Epiphanij sententiæ concordat S. Augustinus in libro quæstionum veteris, & noui Testamenti, quæst. 106. primæ edit. vbi similiter *Aequinoctium* ponit *in die* 11. *Kalendarum Aprilis, quando* (inquit) *Deus Mundum creauit, & quando primus dies Paschæ est, idest primus dies primi mensis.*

Quartò secundum Nicephorum Gregoram in historia Byzantina lib. 8. à pag. 255. vbi de Paschatis correctione ad Andronicum Imperatorem, ibi: *Ac primùm necessariam esse dixi accuratam verni Aequinoctij inquisitionem, à quo* (*vt post dicetur*) *cætera omnia pendent; deindè proximè sequentis* Plenilunij *obseruationem, quòd die circiter decima-quarta à coitu* Solis *& Lunæ in eadem Zodiaci parte perpendiculari contingat: cùm autem* Pascha *nostrum Mosayco respondeat, hoc verò* Plenilunium *Aequinoctio proximum spectet; ijs explicatis ratio nostra omnibus per-*

perſpicua erit. Et paulò poſt; *Fit igitur exquiſitum Aequinoctium in Vere, cùm Sol primam Arietis partem ingreditur, in qua etiam æquinoctialis circulus ab Aſtrologis deſcribitur; neque verò ſingulis annis eodem modo fit: ſed apud Nabonaſſarem ſub finem veſperę vigeſimi-quinti diei, apud* Philippum *Aridęum ſub meridiem vigeſimi-quinti diei eiuſdem menſis. Quibus autē diebus Chriſtus pro nobis mortē oppetijt die* 23. *multùm ante Solis ortum, ac potiùs media illa nocte, &c.* Et pag. 260. inquit; *Eo igitur* Plenilunio *Paſcha Iudæi immolarunt, eo Aequinoctium fuit, eo & Seruator noſter mortem pro nobis oppetijt; omnibus notum eſt tertium fuiſſe diem poſt Legis illud feſtum, quo Dominus noſter à morte reſurrexit menſis Martij die* 25. Inter modernos autem Ioannes Iacobus Hainlinus in dicta Synopſi mathematica in praxi Aſtronomiæ ſupputat dictum Æquinoctium anni Chriſti 34. labentis die 22. menſis Martij hor. 2. p.m. Et pariter etiam Sethus Caluiſius in ſuo Opere Chronologico.

Cùm itaque ſecundum prędictos Aſtronomos & SS. Patres, ac Doctores Æquinoctium vernum tempore vitæ Chriſti fuerit in die 22. circiter mēſis Martij, & anno Chriſti 34. labente factum fuerit die 22. dicti menſis Martij; manifeſtum eſt Plenilunium diei ſequentis 23. menſis Martij eſſe debuiſſe paſchale ſecundum Legem Moyſis, vulgatamque regulam, quam tradidit Beda in

lib.

lib. de ration. temp. cap. 60. ibi; *vt quę poſt Aequinoctium decima-quinta Luna occurrerit, primi menſis intelligatur.* Et infra; *quę verò Luna in Aequinoctio, vel poſt Aequinoctium plena eſt, mox vbi Dominicus aderit dies, Paſcha legitimum dabit:* Idem aſſerit in Libro de Paſchæ celebratione. Et hinc patet quàm rectè ſcripſerit S. Anſelmus vbi ſupra in lib. 2. de Imagin. Mundi cap. 17. dum ait: *Sanctum Paſcha ab Hebręis celebratum fuiſſe eo anno Paſſionis Chriſti in die 23. menſis, & Chriſtum Dominum ſecundum legem feciſſe Paſcha die 22. praecedenti, & die 25. eiuſdem menſis Martij reſurrexiſſe.* Non autem ita S. Epiphanius, qui ait Hebræos tumultuantes in anno Paſſionis Chriſti anticipaſſe tres dies in celebratione Paſchatis, putans Chriſtum Saluatorem noſtrum crucifixum fuiſſe die 20. menſis Martij, & die 22. reſurrexiſſe, quod impoſſibile eſt; quia nunquàm fuit Plenilunium, nec in die 19. neque in die 20. menſis Martij, vti eſſe debebat; cùm notiſſimum ſit Chriſtum in crucem actum fuiſſe Luna lumine pleniſſima exiſtente in die decima-quinta Lunæ. Indebita eſt igitur lamentatio illa de illegitima celebratione ſac. Paſchatis, velut etiam aliorum omnium, qui non animaduerterunt diem illum, quem Paſſionis Chriſti Domini fuiſſe exiſtimarunt, carere Plenilunio; ac proindè eſſe nullo modo potuiſſe diem crucifixionis Chriſti.

Non

Non obſtat ergo, ſi quis diceret, quòd Sancta Eccleſia ſit indifferens ad credendum, quòd Chriſtus Dominus crucifixus fuerit, & reſurrexerit menſe Martio, vel menſe Aprilis; eò quod hinc indè ſint authores Catholici vtrumque ſentientes, & affirmantes: Nam reſponderetur contrarium manifeſtè conſtare; nempè non ſolùm Eccleſiam à primis vſque temporibus adeò flagranter inuigilaſſe & elaboraſſe pro certitudine menſis, & diei Paſſionis, ac Reſurrectionis Chriſti, vt ad ſedandas turbulentas Quartadecimanorum controuerſias ſuper die celebrationis ſacri Paſchatis coactus fuerit B. Victor I. Pont. Max. ad conuocandum ſuper hac re Concilium in Cæſaream anno Chriſti 196. tanquàm ad locum à Iudæa non longè remotum, vt faciliùs dicti menſis, & diei ſcientia haheretur. In quo Concilio reſolutum fuit, vt ſupra viſum eſt, ex relatis etiam à Beda; quòd Chriſtus Dominus paſſus fuit die 23. menſis Martij, & die 25. reſurrexit: quæ determinatio per totum Orbem Chriſtianum promulgata fuit ſemperque retenta à SS. Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus poſterioribus, quos ſupra recenſuimus; donec longo temporis lapſu moderni quidã opinantes, quòd dies 23. Martij anni Chriſti 34. non fuerit feria ſexta, ſeu dies Veneris ſecundum ipſorum inſufficientes ſupputationes, nec rectè aptatas literas Dominicales, neque inuenientes vllum

Pleniluniũ in feria sexta, vt opus erat, recesserunt à dicto sac. Concilij decreto, SS.PP. & Ecclesiæ traditionibus, ac typis persuadere conati sũt Christi mortem, & Resurrectionem in mense Aprilis, & alij in alijs diebus mẽsis Aprilis, Ecclesia minimè approbante huius, & illius opiniones, immò reluctante; ex quo à mille quadringẽtis, & septuaginta ab hinc annis habet suam intentionem ritè & rectè fundatam, ac præscriptam in dicto Concilio Cæsareensi, atque etiam ab inueterata consuetudine singularis venerationis & obseruantiæ dierum Veneris mensis Martij comprobatam.

Neque de hoc ante Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis ætatem disputatum est, qui fuit acriter repræhensus, eò quòd scripserit Christi Domini mortem fuisse in mense Aprilis, & hæc eius opinio damnata, vt latè refert Alphonsus Salmeron tom. 1. in Comment. in euangelicam historiam, Prolegomeno 38. de vera Christi ætate, assert. 11. pag. 450. vers. *Postremo loco*, ibi: *Verùm inter Tractatus Cardinalis* Ioan. *à Turre-cremata nondum in lucem editos, sed tantùm manu-scriptos, vnum inueni, qui inscribitur. In quinque Conclusiones Episcopi Abulensis de mandato* Papæ *à tribus Cardinalibus examinatas. Prima inter eas hæc damnata erat: Dominum* Iesum *passum anno 33. ætatis suæ currente. Secunda: Christum 3. Aprilis mortuum.* Velut etiam notat Henricus Philippi in

Quæstionibus chronologicis de annis nati, & passi Saluatoris cap. 19. num. 2. pag. 86. Vixit autem Alphonsus Tostatus sub Sigismundo II. Imperatore circa Annũ Christi 1430. temporibus Martini V. & Eugenij IV. Pont. Rom. Et in suo Defensorio part. 2. cap. 19. pag. 24. col. 1. & 2. scribit ætate sua sub duobus Pontificibus excuti cœptum; an Passio Christi Domini fuerit de mense Martio, magnaque Theologorum, Mathematicorum, & Iudæorum contentione conclusum fieri non potuisse, vt secundum Astrologiam Christus passus sit iuxta Augustinum, & quosdam alios Patres Martij 25. die, feria sexta, & in Parasceue Iudæorum, ac proindè quia inuenit in die 3. Aprilis anni Christi 33. labentis Plenilunium, & feriam sextam; ideò sensit in illo Plenilunio fuisse diem, mensem, & annum Passionis Christi; sed contra eum inuehit quoque Ægidius Bucherius in Belgio Romano Ecclesiastico Anno 1655. edito lib. 4. cap. 7. pag. 137. *Primò, quòd supponerent eam Augustini, aliorumque quorumdam dumtaxat, esse etiam omnium* Patrum *sententiam, quod non est: Secundò, quòd* Patres *potiùs Synodi Cæsareensis (quæ anno Chisti vulgari, seu Dionysiano* 196. *iussu S. Victoris* Papæ *Romani in* Palestina *ad hoc ipsum indagandum coacta est) præ cæteris omnibus excutere, refutareque debebant, qui post seriam indagationem Christum decimo Kalendas Aprilis, seu Martij vicesimo-*

mo-tertio paſſum, octauo Kalendas Aprilis reſurrexiſſe definierunt. Quod Veritati pleniſſimè reſpondet, ſi Cyclum Solis &c. Rursùs idem Bucherius vbi ſupra num. 2. declarando S. Auguſtini, eiuſque aſſeclarum mentem, conciliat Decreto dictę Synodi Cæſareenſis;ex eò quia *cùm duplex illo anno Paſſionis Chriſti Paſcha fuerit, alterum antiquum & legàle Iudæorum, alterum nouum ſeu recens Chriſtianorum; et Paſcha Iudaicum, & crucifixionis Chriſti inciderit in die Veneris 23. Martij; Paſcha verò nouum Chriſtianorum, & Reſurrectionis Chriſti inciderit in die Dominico 25. dicti mensis Martij, S. Auguſtinus, Tertullianus, & Chriſoſtomus fallaci quadam Homonymia à Paſchate dictæ Reſurrectionis nondum tunc vſurpato ad Paſcha legale Iudæorum dictæ crucifixionis, quod tunc ſolùm in vſu erat, & verè Paſſionis extiſtit; abducti ſunt.*

Poſt Toſtatum fuit Ioannes Lucidus, qui vixit Anno Chriſti 1530. quem plures ſequuti sũt ſcribentes cum eo, quòd Chriſtus Dominus paſſus fuerit dicta die 3. Aprilis anno ætatis ſuæ 33. labente, vt videre eſt in ſuo libro de emend. temp. in Opuſc. de vero die Paſſionis Chriſti cap. 9. Inter quos Scaliger, mutata opinione, in Prolegomenis libri de emend. temp. pag 28. ſecundæ edit. & lib. 6. vbi de anno Natalis Domini à pag. 542. vſque ad 562. & ſequent. Et cum eo Philippus Labbeus Bitur. in tom. 2. de Scriptoribus Ec-

clesiast. dissertation. philolog. in Abaco chronologico noui Testamenti in titulo, *Vita Christi breuis summa*. Et etiam Ægidius Strauchius in Breuiario chronologico nuperrimè edito pagin. 1093. & 1118. Item Petrus Pitatus in Compendio super anni solaris, & lunaris quantitate Tract. 2. conclus. 3. Franciscus Iunctinus in Comment. sphær. Sacro-boschi cap. 4. à pag. 296. vsque ad 309. Ioannes Zarlinus in Opusc. de vero anno, & die mortis Christi, in tom. 4. suorum Operum. & alij recentiores Astronomi, Chronologi, & Theologi, quos numerat Ioann. Bapt. Ricciolus apud Manfredum in Vindicijs Kalend. Gregor. pag. 15. & idem in lib. 5. Almagesti sui cap. 18. pag. 360. col. 2. cum quibus pariter sensit Christum passum fuisse die 3. Aprilis anno 33. ætatis suæ labente. Dimissis cæteris, qui in alijs diebus Aprilis, vt Scaliger die 23. Aprilis, & cum eo Ioannes Iacobus Hainlinus in Synopsi mathematica, vbi supra, & infra, atque etiam in Chronologia mystica pag. 56. & 57. edita 1656. Et Keplerus die 11. Aprilis, ac in alijs annis; de quorum errore inferiùs differemus.

Et primò friuola est assertio eorũ ex præfatis, qui putant satis esse Christi Domini crucifixionẽ fuisse ea Luna, cuius Nouilunium fuerit in mense Martio; licet Plenilunium inciderit in mense Aprilis, quasi totus ille mensis lunaris Martio

possit

poſſit adſcribi, in quo cœptus aſſeritur : nã SS. Patres omnes non de lunatione menſis Martij, ſed de ipſo menſe Martio, & diebus dicti menſis Martij expreſsè locuti ſunt, non autem de lunatione Martij, & diebus 14. & 15. dictæ lunationis menſis Martij; quia minimè ignorabant lunationes Martij frequenter eſſe poſſe non paſchales, quando Plenilunia dictarum lunationum menſis Martij incidunt ante Æquinoctium vernum, quod tunc temporis quoque fiebat de menſe Martij, nunquàm autem, & impoſſibiliter de menſe Aprilis; pręterquàm quòd Paſſioni Chriſti de menſe Aprilis manifeſtè obſtat dicta inueterata Eccleſiæ conſuetudo ſingularis venerationis & obſeruantiæ vniuſcuiuſque ſextæ feriæ mẽſis Martij, non autem menſis Aprilis; nec non etiam quòd dictum Plenilunium diei 3. Aprilis non incidit in feria ſexta, velut erroneè putauit præfatus Toſtatus, eiuſque Sectatores; vt infra demonſtrabimus.

Rurſus vana eſt probatio à nonnullis ex his deſumpta ab Eclipſi à Phlegonte enarrata, quæ contigit anno Chriſti 33. lab. nimirùm anno 4. Olympiadis 202. per quam Eclipſim, inquit, adeò obſcuratus fuit Sol, vt ſtellæ viſæ fuerint, & terræ motus magni facti ſint eadem Eclipſis hora: nam dictæ Eclipſis annus non fuit annus 1. Olympiadis 203. nimirùm annus Chri-

ſti

ſti 34. in quo fuit crucifixus ſecundum SS. Patrum ſententiam; ſed fuit annus 4. Olympiadis 202. videlicet annus ante Chriſti crucifixionem, qui fuit ætatis eius 33. Et quoniam Phlegon nullam facit mentionem de menſe, nec de die talis Eclipſis, ſed tantùm de anno Olympiadis, & quòd fuerit hora 6. diei; idcircò nulla vrget ratio, cur talis Eclipſis adſcribi debeat anno, menſi, ac diei Paſſionis Chriſti, magis quàm alteri anno, menſi, & diei: Et eò magis dicente Euſebio, vt refert Franciſcus Iunctinus Comment. in ſphær. Sacroboſchi cap.4.pag.429. *Quod iſte Phlegon declarauit hoc quidem ſub Tyberio Cæſare contigiſſe; non tamen expreſſit oppoſitionem luminarium fuiſſe*. Nouilunia verò ecliptica anni Chriſti 33. lab ſupputare fecimus (vt infra) à quibus nihil infertur, & præſertim etiam cùm Eclipſes, tam Solis, quã Lunæ, ſint ita frequentes, vt ſingulis annis in toto terrarum Orbe quatuor neceſſariò fiant lege naturæ, licet non ſemper vbique viſibiles, nec ſemper totales, ac proindè potuerit eſſe Solis aliqua Eclipſis naturalis viſa vbi Phlegon: non autem illa miraculoſa tempore Paſſionis Chriſti, quæ fuit anno ſuæ ætatis 34. labente, qui correſpondet anno 1. Olympiadis 203. & non anno 4. Olympiad. 202. vt ait Phlegon.

Noui-

Nouilunia, quæ propter vicinitatem ad Nodum lunarem, tùm boreum, tùm auſtrinum potuerunt eſſe ecliptica, anno Chriſti 33. labente ad Meridianum Romę ſupputata.

PRimum Nouilunium fuit die 19. Martij hor. 4. ante meridiem circiter Sole cum Luna exiſtente in grad. 25. min. 50. circiter Piſcium ; & quia Nodus boreus tunc erat in grad. 5. min. 43. Arietis diſtans 9. grad. circiter à Luminaribus, ideò Eclipſis non fuit totalis.

Secundum Nouilunium fuit die 17. Aprilis hor. 8. circiter poſt meridiem Sole exiſtente in grad. 24. min. 47. circiter Arietis ; & quoniam Nodus boreus erat in grad. 4. min. 10. Arietis diſtans 20. grad. & ampliùs à Luminaribus, idcircò nulla forſan fuit Eclipſis.

Tertium Nouilunium fuit die 12. Septembris hor. 2. circiter ante meridiem Sole cum Luna exiſtente in grad. 16. min. 22. circiter Virginis; & quia Nodus auſtrinus reperiebatur in grad. 26. min. 20. Virginis diſtans 10. grad. circiter à Luminaribus, propterea Solis Eclipſis non fuit totalis.

Quar-

Quartum Nouilunium fuit die 12. Octobris hor. 8. circiter ante meridiem Sole existente in grad. 15. min. 36. Libræ; & quia Nodus austrinus tunc erat in grad. 24. min. 47. Virginis distans à Luminaribus grad. 21. circiter, qua propter nulla fuit Eclipsis.

Ergo nulla fuit Eclipsis Solis naturalis, nec ita totalis, vt stellæ visæ fuerint, vbique terrarum in illo anno eius ætatis Christi 33. labente, qui secundum Phlegontem fuit 4. Olympiadis 202. neque miraculosa nisi anno ætatis eius 34. labente, in quo verè crucifixus fuit, vt supra visum est; & in quo nullæ Eclipses propter Nodi borei, & austrini existentiam tunc in signis Piscium, & Virginis esse potuerunt in Ariete, & Libra; vbi Nouilunium, & Plenilunium paschale necessariò incidere debet.

Ex hactenùs itaque deductis euidentissimum est, Christum Dominum alio mense, alio die, nec alio anno crucifixum fuisse, nisi anno suæ ętatis 34. labente, mense Martio, eiusque mensis die 23. nec resurrexisse nisi die 25. eiusdem mensis. Remanet modò dilucidandum ad huius veritatis maiorem euidentiam, & ad integram vniformitatem cum euangelica doctrina, quòd dicta dies 23. mensis Martij dicti anni Christi 34. labentis fuerit feria sexta, nimirùm dies Veneris; & dies 25. eiusdem Martij fuerit dies Dominica: Nulla

la enim alia potiori ratione exclusum est à posterioribus omnibus Chronologis, & Astronomis Computatoribus Plenilunium mensis Martij anni Christi 34. labentis; nisi quia secundum computa eorum, Plenilunium hoc non incidit in feria sexta, seu die Veneris; sed in feria tertia, seu die Martis. Propterea si per nos demonstrabitur, quòd dies 23. Martij dicti anni 34. labentis fuit feria sexta, scilicet dies Veneris; & insuper quòd Plenilunia à prædictis Chronologis, & Astronomis habita pro paschalibus & conuenientibus diei, & anno Passionis Christi Domini, verè non inciderint in feria sexta, nimirùm in die Veneneris; hæc quæstio erit omninò definita.

Præmittendum autem primò est, quòd anni noui Iuliani vsus, & executio speciatim demãdata fuit Sacerdotibus Romanis, ita vt confectum ab ipsis Kalendarium Romanum diffusum fuerit per omnes gentes, & Populos Romano Imperio subiectos; adeò vt principaliter dicti anni Iuliani vsus manserit penes Proconsules, Prætores, Præsides, Vicarios, Procuratores, & Tabellarios Prouinciarum, ac Vrbium Romano Imperio subditarum, nempè iusta & ordinata enumeratio mensium, & dierum omnium anni noui solaris constantis 365. diebus cùm quadrante à Iulio Cęsare instituti: nam Hebræis, & alijs, qui vtebantur anno lunari dierum 354. ob religionis, &

ſacrorum diſſimilitudinem, & menſium diuerſitatem ęgrè adaptari poterat dicti anni ſolaris vſus; propterea Proconſules, Prætores, Præſides, Vicarij, Procuratores, Tabellarij, alijque Miniſtri ad exteras Nationes longinquas, & ad Iudæam miſſi ſtatim poſt publicationem dicti anni ſolaris vſi ſunt anno Iuliano iuxta eis datam normam à Sacerdotibus Romanis, quorum erat hoc officium, & cura; ita vt ſtatim poſt anni correctionem à Iulio Cæſare initam dixerint, & ſcripſerint diem illum eſſe primum primi menſis anni, nimirùm Calendis Ianuarij, & annum primum incipientem à dicta inſtitutione, & ſucceſſiuè ſequentem diem dixerint, atque ſcripſerint eſſe diem 2. menſis, nempè quarto Nonas Ianuarij; & ſic de alijs menſium diebus.

Secundò præmittendum eſt, quòd in qualibet correctione, ſeu reformatione annorum ciuilium ſolarium, vel lunarium à quibuſcunque Principibus, & Populis quomodòlibet facta; quàmuis videatur fieri per additionem dierum, tamen minimè fit, nec per additionem, nec per ademptionem veri temporis anni, videlicet dierum, ac menſium: ſed tantùm per ademptionem ab anno ciuili corrigendo, numeri dierum in annorum multidine indebitè numeratorum propter fragmenta dierum, nempè veri temporis debita magnitudini anni ſolaris, vel lunaris, & neglecta,

vel

vel craſſo modo computata in dictis annis ciuilibus ſolaribus, vel lunaribus; & per huiuſmodi ademptionem malæ enumerationis dierum corrigitur annus ciuilis labaſcens, & reducitur ad ſibi debitam, & præſcriptam formam, ſicut fecit Iulius Cæſar in anno Numæ Pompilij, & Gregorius XIII. Pont. Max. in anno Iulij Cæſaris; per hanc autem ademptionem malæ enumerationis dierum nulla accidit euariatio, ſeu mutatio feriæ, neque motus Solis, nec Lunæ, neque cæterorum Planetarum; quia prouidetur indebitæ enumerationi illorum dierum factæ in tali menſe, & anno, ac in tali feria, atque in tali motu cœleſti; ſed feria, quæ in dies currit, & quæ poſt ſingulos 28. annos recurrit, eſt neceſſario eadem in dictis annis ciuilibus, nec immutari poteſt per correctionem annorum ciuilium, eorumque dierum apparentem ademptionem: Et propterea Aſtronomi docent regulam indagandi feriam per conuerſionem annorum ciuilium vnius Populi in annos ciuiles alterius Populi, vt Reinholdus inter alios in tabulis Prutenicis præcepto 7. pag. 24. & 25 ibi, *ideò dies 12. Nouembris fuit Dominicus, vel Iudæis prima feria ſequens Sabbatum*; & hæc patent in correctione anni ciuilis Iuliani facta à Gregor. XIII. Pont. Max. Anno 1582. die 5. Octobris, vbi in nihilo mutata feria, nec motu Planetarum diurno dies 5. dicta fuit dies 15. Octobris, ex quo ade-

mit dies 10. ab illo Anno 1582. tanquàm erroneè additos anno ciuili Iulij Cæsaris propter eccessiuas intercalationes dierum in annis bissextilibus à seculis retroelapsis post Conciliũ Nicœnum, & mensis Octobris dicti anni factus est dierum 21. & sic annus ille 1582. euasit dierum 355. vt videre est in Ephemeridibus Ioannis Antonij Magini dicti Anni 1582.

Similiter in correctione anni Numæ Pompilij à Iulio Cæsare peracta prouisum fuit indebitæ numerationi dierum per decretum, seu edictum Iulij Cæsaris, quòd Calendæ Octobris dicerentur Calendæ Ianuarij, nulla facta mutatione feriæ, neque motus, positusque Solis, & Lunæ, qui erat in dictis Calendis Octobris eo anno, in quo Iulius Cæsar emendauit dictum annum ciuilem Numæ. Prouidit namque Iulius Cæsar excessiuæ numerationi dierum, per quam paulatim excrescebat anticipatio Solstitij hyberni in anno ciuili Numæ lunisolari, reducendo dictum Solstitium hyemale in sua prisca sede à Numa præfinita, nimirùm ad Calendas Ianuarij per ademptionem non dierum, sed erronei numeri dierum, qui excreuerat ad numerum 90. dierum in illo anno ciuili Numæ vltimo ante eius correctionẽ, & consequenter efficiendo annum illum ciuilem Numæ postremum mensium nouem, non autem quindecim mensium, vt putarunt Suetonius,

Ma-

Macrobius, & Scaliger, de quibus infra. Quemadmodùm quoque fecit Gregorius XIII. Pont. Max. in correctione anni ciuilis Iulij Cæſaris reducendo Æquinoctium vernum in ſua priſca ſede, nempè ad diem 21. Martij à Sac. Concilio Nicœno præfinita per ademptionem non dierum, ſed erronei numeri dierum, qui excreuerat ad numerum decem dierum anticipando Æquinoctiũ vernum in illo anno ciuili Iulij Cæſaris vltimo ante eius correctionem, & conſequenter efficiendo annum illum ciuilem Iulij Cæſaris poſtremũ (vt dixi) dierum 355. Si enim correctio Iulij Cæſaris fuiſſet per ademptionem dictorum 90. dierum à dicto anno ciuili Numæ poſtremo, ſcilicet à Kalendis Octobris (vt opinatus eſt Scaliger, veluti modò dicemus) Sol Kalendis Octobris dicti anni primi correctionis Iulij Cæſaris fuiſſet in principio Cancri, & annus ille ciuilis Numæ poſtremus fuiſſet ſex menſium; ſcilicet quantum eſt à Solſtitio hyemali, quod fit in Capricorno, ad Solſtitium æſtiuum, quod fit in Cancro exiſtente Sole: Sed verè fuit annus ille nouem menſium; quia per edictum Iulij Cæſaris Calendæ Octobris dicti anni Numæ poſtremi nuncupatæ ſunt, & verè fuerunt Calendæ Ianuarij; & Solſtitium hyemale velut in Ianuario Numæ: nam anno illo correctionis iam præterierat octennium, in quo (more ſolito) Sacerdotes æquare

ſole-

ſolebant annum ciuilem Numæ lunarem anno ſolari; videlicet vbi in ſpatio octennij tres menſes debebantur anno ciuili Numæ lunari, ad hoc vt anno ſolari æquaretur, ſeu ad ſolarem reduceretur, veluti plenè conſtat ex ijs, quæ latè ſupra diximus in cap. 3. de Anno ciuili Numæ Pompilij, & in cap. 4. de Anno ciuili Iulij Cæſaris, etiam ex Scaligero in lib. 2. de emend. temp. vbi de anno veteri Romanorum à pag. 124. primæ edit. & pag. 186. ſecundæ edit. vbi concludit, quòd ante correctionem Iulianam ferè vno ſeculo Calendæ Ianuarij Romani cœperunt ſemper ab Autumno; & quòd pluſquàm tres menſes diſſimulentur in faſtis conſularibus, tamquàm nulli fuerint in rerum natura.

Sicut ergo in anno Numæ Sol erat in principio Capricorni in Calendis Ianuarij; ita pariter Sol fuit in principio Capricorni tempore correctionis anni veteris Numæ à Iulio Cæſare factæ, ac proindè in anno nouo Iulij Cæſaris, quamuis non præcisè in eodem gradu propter anticipationem Solſtitiorum, & Æquinoctiorum, quæ à tẽpore Numæ vſque ad tempora Iulij Cæſaris irrepſit ſex circiter dierum; per quam Sol in Calẽdis Ianuarij tempore Numæ erat in principio Capricorni: tempore verò Iulij Cæſaris erat in grad. 6. circiter Capricorni, vt patet ex supputationibus noſtris in Prodromo cap. 12. pag. 286:

ſub tempore reformationis anni à Numa Pompi-
lio: Et cap. 13. pag. 313. ſub tempore inſtitutio-
nis anni Iulij Cæſaris; tùm quia cùm Iulius Cæ-
ſar anni ſui ciuilis exordium accommodare volu-
erit ad popularem vſum, & ad beneficium rei ru-
ſticæ, ſtatuit illius exordium ſub ingreſſu Solis in
ſignum Capricorni Zodiaci ſtellati, ſeu octauæ
ſphæræ; quod ſignum, ſeu imago Capricorni eo
ſeculo incipiebat in grad. 6. circiter Capricorni
Zodiaci primi mobilis, cui ingreſſui conſentie-
bant etiam ingreſſus Solis in reliqua ſigna Zodia-
ci octauæ ſphæræ cardinalia, vt latè diximus in
Prodromo cap. 19. pag. 392. & 393.

Ex his etiam manifeſtum fit dictorum anno-
rum ciuilium Numæ, & Iulij Cæſaris correctio-
nes non fuiſſe factas per ademptionem, neque per
addictionem veri temporis anni, nempè dierum,
& menſium competentium anno cœleſti: ſed per
ademptionem numerationis erroneæ dicti veri
temporis anni cœleſtis paulatim, & inſenſibili-
ter fermè factæ in dictis annis ciuilibus; vt præ-
clarè etiam habetur in Lege, Cùm biſſextum ff.
de verb. & rerum ſignificatione, vbi *Q. Mutius
omnes dies menſis intercalaris obſeruabat pro momento
temporis*. Similiter ex ijſdem patet quantum hal-
lucinati fuerunt Suetonius, Macrobius, Dio, So-
linus, ac alij, & poſt ipſos Scaliger in lib. 4. de
emend. temp. vbi de anno Romanorum Iuliano

pag.

pag. 156. primæ edit. & pag. 228. ſecundæ edit. dùm putauerunt, quòd annus ille correctionis, qui dictus eſt confuſionis, fuerit 15. menſium, ſeu 444. dierum; nã minimè fuit 15. menſiũ ſolariũ, nec lunariũ, quia licet dẽptis dictis 444. diebus ab anno lunari Numæ, qui erat 354. dierum, remanſerint 90. dies, nimirùm menſes tres, tamen non erant menſes illius anni ciuilis Numæ poſtremi, in quo facta eſt dicta correctio à Iulio Cæſare, ſed erant tres lunationes paulatim coadunatæ in ſpatio octennij tunc elapſi ab altera reductione anni lunaris ad ſolarem, quam facere conſueuerant ſingulis octo annis Sacerdotes; & ideò iam præterlapſis 99. menſibus lunaribus, ſeu lunationibus in dicto octennio ſolari expleto, nempè in ſpatio 96. menſium ſolarium ab altera reductione facta à Sacerdotibus, ſcilicet poſt reditum Solis octo vicibus ad ſignum Capricorni, vbi Sol gradiebatur in menſe Ianuarij tempore inſtitutionis anni ciuilis Numæ, & ſic redeunte Sole ad ſignum Capricorni in 96. menſibus ſolaribus exactè poſt 99. lunationes, ſeu menſes lunares Numæ, pronunciabant menſem illum, in quo poſt dictum octennium fiebat reditus iſte Solis ad ſignum Capricorni cum iiſdem præciſè initijs menſium lunarium, & conſequenter lunationum in eodem circiter Zodiaci gradu, veluti fiebant in octennio præcedenti, eſſe menſem Ianuarium ſecundum,

pri-

primæuam Numæ inſtitutionem,per quam mẽſis Ianuarius erat primus, & Princeps anni ſui ciuilis; quia propter nullam habitam conſiderationem dictarum trium lunationum, ſeu menſium lunarium in ſpatio dicti octennij paulatim coadunatarum in ſpatio 96. menſium in octennio ſolari, & 99. menſium in octennio lunari, menſis Ianuarius, quem Numa Soli in Capricorno alligauit, erroneè nuncupabatur October, & videbatur in mensẽ Octobris incurriſſe ex eiuſdẽ Scaligeri animaduerſionibus in dict.lib.2.de emẽdat. temp. vbi de veteri anno Romanorum pag. 124. primæ edit. & 186.ſecundæ edit. Et September Numæ Romanus in Iunium Iulianum,& ſic de cæteris quodammodò retrocedendo. Sed reuerà tres illæ lunationes conſultò prætermittebantur à Sacerdotibus, donec completæ poſt abſolutum octo annorum ſolarium ſpatium æquarentur,veluti lege naturæ neceſſariò æquabantur eidem anno lunari Numæ Soli alligato in menſe Ianuario ſub ſigno Capricorni progrediente Sole, vt dictũ eſt. Quàmuis enim Sacerdotes vterentur menſe intercalari Mercedino,alijſque diebus pro æquandis annis ciuilibus; tamen verè nihil vnquàm addebant magnitudini anni ſolaris cœleſtis; ſed expectabant reductionem anni lunaris ad ſolarem lege naturæ ſingulis octennij neceſſariò futu-

H ram,

ram, eamque per publicum edictum promulgabant. Ille igitur annus ciuilis Numæ postremus, in quo facta est à Iulio Cæsare eius correctio, seu æquatio cum anno solari, & in quo reiecto anno illo lunisolari Numæ, introductus est & vsu receptus annus solaris; minimè fuit 15. mensium nec solarium, nec lunarium, sed nouem mensium solarium, totidemque fermè lunarium, seu lunationum, dato initio illius à mense Ianuario tanquàm primo anni mense à Numa iam pridem instituto, & Soli alligato in Capricorno. Itaque hallucinati sunt præfati authores Historici; quia viderunt saltum hunc à Calendis Octobris ad Calendas Ianuarij sine motu, & sine tempore fieri naturaliter non potuisse: sed iste saltus nihil aliud fuit, nisi decretum à Iulio Cæsare emanatum, quòd Calendæ Octobris dicerentur, & nuncuparentur Calēdæ Ianuarij, minimè mutato motu Solis, nec Lunæ, neque feria talium Calendarum; quemadmodùm in nihilo mutatæ apparent in correctione Gregorij XIII. Scaliger verò deteriùs hallucinatus est subtrahendo à Calendis Octobris, vt legitur in suo lib. 5. de emend. temp. secundæ edit. quando post plures ambiguitates statuit tempus natalis Octauiani fuisse de mense Iulij, Sole existente in Cancro; cùm verè fuerit die 24. Decembris, Sole existente in

prin-

principio Capricorni, vt latè diximus in Pro dromo cap. 10. de Epocha inſtitutionis anni Iuliani pag. 231. & 232. quidquid ſibi non conſtans ſenſerit idem Scaliger in locis ibidem citatis; & alij pariter ibidem, & vbi ſupra in dicto cap. 3. de veteri anno Numæ. Et in cap. 4. de Anno ciuili Iulij Cæſaris pag.

Tertiò præmittendum eſt, quòd in conſeruatione annorum ciuilium, & in ſuis determinatis ac præfixis ſedibus perpetua ſtatione, ac firmitate, & inuariabilitate fit additio, ſeu (quod idem eſt) intercalatio illorum dierum præcisè, quæ præfinita fuit à Principe illius anni ciuilis inſtitutore, quæ niſi ſeruetur, vel niſi exactè conformetur cum vera magnitudine anni cœleſtis ſolaris, vel lunaris, & non ſit exceſſiua, ſeu craſſa Minerua computata; denuo annum illum correctione indigentem efficit, vt ſupra dictum eſt: Verùm per huiuſmodi additiones, ſeu intercalationes dierum, quotquot ſint, fit neceſſariò etiam mutatio feriæ, motuſque cœleſtis diurni incidentis in dictis diebus, qui adduntur, ſeu intercalantur, vel rectè & iuſtè, vel malè & erroneè intercalentur, vt manifeſtum eſt ab Ephemeridibus quibuſcunque in ſingulis quadriennijs biſſextilibus, in quibus addito die vno menſi Februario, ac proindè effecto dierum 29. dies ille Februario

additus, addit quoque eidem Februario feriam, & motum Solis, & Lunæ eidem diei addito conuenientem; idemque dies, ſi additus non fuiſſet menſi Februario, eſſet primus dies menſis Martij, motuſque Solis, & Lunæ, aliorumque Planetarum, qui datus eſt in eo anno Biſſextili menſi Februario, eſſet primæ diei menſis Martij: addere namque dies, velut etiam ſubtrahere, nihil aliud eſt, quàm addere, vel ſubtrahere tempus; addere autem tempus, eſt addere motum, quia tempus impoſſibile eſt ſine motu exiſtere, & motum ſine tempore; quia tempus eſt menſura motus, vt docet Ariſtoteles lib. 8. phyſic. text. 76. & lib. 2. de gen. & corrupt. text. 61. & nos etiam diximus in cap. 5. præfationis Prodromi pag. 67. & 68.

Quartò præmittendum eſt, quòd in correctione anni ~~Iuliani~~ Numæ Pompilij facta~~m~~ per Iulium Cæſarem, & conſequenter in inſtitutione noui anni Iuliani contigit, vt dies illa primi mẽſis Ianuarij fuerit dies Sabbathi, & Nouilunium quoque in eo die inciderit; quod eſt indubitatum penes Chronologos, & Aſtronomos omnes, inter quos Ioannes Lucidus Samothæus ex Gallia ante Scaligerum, quam feriam Sabbathi, & Nouilunium latè probat per ſupputationes Pauli Middelburgenſis Epiſcopi Foro-ſemproníenſis, atque etiam Ioannis Stofflerini, & ex tabulis Alphonſinis,

nis, alijſque, etiam Ptolemæi, vt videre eſt in ſuo libro de emend. temp. in Opuſculo de vero die Paſſionis Chriſti cap. 6. pag. 171. & 172. & in cap. 5. pag. 168. & 169. & in tabula Annalium temporum pag. 112. Et videre eſt etiam à ſupputationibus hic inferiùs poſitis ſecundum noſtras Tabulas Romanas factis; & ſucceſſiuè contigit, vt dies ſecunda Ianuarij dicti anni primi Iulij Cæſaris fuerit dies Dominicus, & ſecundum Hebræos fuerit prima Sabbati; ſecundum verò Aſtrologos Ægyptios, & Chaldæos prima illa dies Ianuarij Saturno adſcripta fuit, & dies ſecunda Soli, & ſic etiam de cæteris dicti menſis Ianuarij diebus. Primi namque Patres, velut inquit Reinoldus in Tabulis Prutenicis præcepto 7. pag. 24. & 25. *Ad exemplum creationis dies ſex deſtinarunt operibus ruſticis, & œconomicis, quæ neceſſaria ſunt ad hanc vitam, & hominum inter ſe ſocietatem tuendam; ſeptimum vacari omni opere voluerunt, totumque Deo, ac diuinis rebus ſacrum eſſe, in quibus homines de Deo, de peccato erudirentur, & quantum fieri poſſet ſanctis opinionibus ab ipſis incunabulis imbuerentur: Ideò enim ſeptima dies accepit Sabbati nomen à quiete, vt admoneremur relictis alijs rebus, & ſtudijs, quæ ſunt præſentis vitæ certa tempora, etiam pijs meditationibus,*

&

& colloquijs de Deo, & de futura vita tribuenda esse, & reliqui dies sex ad Sabbatum, veluti ad caput referuntur; vocantur enim prima Sabbati, secunda, tertia, quarta, quinta, & sexta, ut septimo loco Sabbatum veluti precedentium consumatio accedat: Loco autem Sabbati Sancta Ecclesia, post Christi Domini Resurrectionem, primam feriam celebrat; quam vocamus diem Dominicum.



Suppu-

Supputatio secundum nostras Tabulas Romanas loci Solis, & Lunæ in meridie diei primæ Ianuarij anni 45. ante Christi aduentum, nempè anni 1. lab. ab Institutione anni Iuliani à Iulio Cęsare facta.

SOL.

S	G	l	ll	
9	6	47	35	Epocha Christi.
0	0	7	24	An. 45. complet. subtr.
9	6	40	11	Noua Radix an. 45. ante Christum.
0	0	59	8	Dies vnus demendus.
9	5	41	3	Longitudo Solis ad dictam Radicem.
0	0	59	8	Die 1. Ianuarij in Meridie.
9	6	40	11	Longitudo media summata.
2	8	17	0	Apogæum subtr.
6	28	23	11	Anomalia Eccentrici.
	1	0	30	Aequatio centri addenda.
9	7	40	41	Longitudo Solis æquanda.
	0	57	53	Differentia æquationis subtrahenda.
♑	6	42	48	Longitudo vera Solis ad dictum tempus.

G	l	ll	
1	0	30	*An. 45. ante Christ.*
0	2	37	*An. 1588. Christi.*
0	57	53	*Differentia subtr.*

LVNA.

S	G	l	ll	
4	1	39	0	Epocha Christi.
6	27	13	50	An. 45. complet. subtr.
9	4	25	10	Noua Radix an. 45. ante Christum.
0	13	10	35	Dies vnus demendus.
8	21	14	35	Longitudo Lunæ ad dictam Radicem.
0	13	10	35	Die 1. Ianuarij in Meridie.
9	4	25	10	Longitudo media summata.
8	9	12	49	Apogæum subtrahendum.
0	25	12	21	Anomalia Eccentrici.
9	6	40	11	Long. media Solis subtrahenda à long. med. Lunæ.
11	27	44	59	Elongatio Lunæ à Sole.
11	25	29	58	Elongatio duplicata.
0	0	40	0	Aequatio centri subtrahenda ab Anomalia.
0	24	32	21	Anomalia æquata.
	5	2	0	Maxima prostaphæresis orbis.
9	4	25	10	Longitudo media Lunæ.
0	1	55	40	Aequatio orbis subtrahen.
♑	2	29	30	Longitudo vera Lunæ ad dictum tempus.

Noui-

Nouilunium primum post predictam Institutionem Anni Iuliani.

Anno 45. ante Christi aduentũ die 1. Ianuarij hor. 9. min. 15. p. m. Romę.

SOL.

S	G	l	ll	
9	6	47	35	Epocha Christi.
0	0	7	24	An. 45. complet. subtr.
9	6	40	11	Noua Radix an. 45. ante Christum.
0	0	59	8	Dies vnus demendus.
9	5	41	3	Longitudo Solis ad dictam Radicem.
0	0	59	8	Die 1. Ianuarij
9	6	40	11	Longitudo media summata in Meridie.
0	0	22	11	Hor. 9.
0	0	0	37	Minut. 15.
9	7	2	59	Long. media ad d. tempus.
2	8	17	0	Apogæum subtr.
6	28	45	59	Anomalia Eccentrici.
0	1	1	13	Aequatio centri addenda.
9	8	4	12	Longitudo Solis æquanda.
	0	57	48	Differentia æquationis subtr.
♑	7	6	24	Longitudo vera Solis.

G	l	ll	
1	1	13	*An. 45. ante Christ.*
0	3	25	*An. 1588.*
0	57	48	*Differentia subtr.*

LVNA.

S	G	l	ll	
4	1	39	0	Epocha Christi.
6	27	13	50	An. 45. complet. subtr.
9	4	25	10	Noua Radix an. 45. ante Christum.
0	13	10	35	Dies vnus demendus.
8	21	14	35	Longitudo Lunæ ad dictam Radicem.
0	13	10	35	Die 1. Ianuarij.
0	4	56	28	Hor. 9.
0	0	8	14	Min. 15.
9	9	29	52	Longitudo media Lunæ ad dictum tempus.
8	9	15	23	Apogæum subtrahendum.
1	0	14	49	Anomalia Eccentrici.
9	7	2	59	Long. media Solis subtrahenda à long. med. Lunæ.
0	2	26	53	Elongatio Lunæ à Sole.
0	4	53	46	Elongatio duplicata.
0	0	44	0	Aequatio centri addenda Anomaliæ.
1	0	58	49	Anomalia æquata.
	5	2	0	Maxima prostaphæresis.
9	9	29	52	Longitudo media Lunæ.
0	2	23	50	Aequatio orbis subtrahen.
♑	7	6	2	Longitudo vera Lunæ.

Quintò

Quintò præmittendum est, quòd Cyclus Solis 28. annorum, qui est etiam Cyclus Literarum Dominicalium, eo quòd Literæ Dominicales post 28. annos eodem prorsus ordine recurrunt; quàmuis non sit simpliciter & absolutè necessarius, cùm sine eo Cyclo Solis longè expeditiùs literam Dominicalem cuiuscumque anni reperire possimus, vt tradit Clauius in Kalend. Greg. cap. 21. pag. 405. tamen si quærantur per suas regulas literæ Dominicales pro annis Christi prope eius Natiuitatem, inuenientur eæ, quæ esse debuissent, si institutio Iulij Cæsaris seruata fuisset; sed quia, vt ait idem Clauius in pag. 411. dicti cap. 21. *Idolorum Sacerdotes errorem in intercalatione commiserunt, quem Augustus posteà correxit, fuerunt vsque ad annum Domini quartum inclusiuè aliæ literæ Dominicales*, vt demonstrat per duas ibi sequentes tabellas, vnam literarum Dominicalium secundū correctionē Octauiani Augusti, alterā secundum institutionem Iulij Cæsaris, & regulas Kalendarij, subdens deindè; *Itaque Dominicales literę iuxta pręscriptum Kalendarij à Natali Christi, idest ab anno 0. vsque ad annum 4. inclusiuè diuersę sunt ab alijs, quas correctio Augusti Cæsaris debet, sed post annum quartum nulla ampliùs varietas interuenit.*

Cùm itaque sine Cyclo Solis longè expeditiùs literam Dominicalem cuiuscumque anni reperire possimus, fuerintque aliæ literæ Dominica-

les vſque ad annum à Natiuitate Chriſti 4.incluſiuè propter errorem Sacerdotum Romanorum in intercalando, ideò Cyclo ſolari relicto literas Dominicales in Kalendario Iulij Cæſaris longè expeditiùs, & tutè reperiemus: quanquàm enim caput an. Iulij Cæſaris initiũ habuit Calendis Ianuarij in litera Dominicali B.tamen tunc temporis nec litera Dominicalis nota erat, nec Cyclus vllus Lunæ, vt narrat Scaliger in Lib.4.de emẽd. temp. pag. 156. primæ edit. & pag. 161. ſubdens, *nam quàmuis fuerit prima die Ianuarij Nouilunium, tamen Cęſar non appoſuit vnitatem in dictis Kalendis Ianuarij; quia is eſſet primus annus Cycli lunaris: Cæſar enim non magis nouit vſum Epactarum, quàm bebdomadis Iudaicę; potuit enim in faſtis ſuis Nouiluniorum notas apponere, vt ſtellarum ortus & occaſus, ſed non per enecadecatœeteridas, ſcilicet per Cyclum Lunæ aureum 19. annorum: à temporibus enim Dionyſij Exigui Kalendaria Romana in hebdomadas diſtributa ſunt, Cyclus Lunę in margine appoſitus eſt, quem aureum numerum vocamus; anteà nondum in Kalendarijs Iulianis notabatur aureus numerus, nam planè eſt inuentio Chriſtianorum poſt Concilium Nicænum.* Hæc Scaliger, vbi ſupra, dum reſpondet Ioanni Stofflerino, & cuidam Baroni Philippo rerum antiquarum ſtudioſo. Ioannes Lucidus autem in Opuſc. de vero die Paſſionis Chriſti fol.171. pag.2. ait, *licet Romani priſci vſi non*

fue-

fuerint ferijs Septimanarum, sed distinxerint annos per menses, & dies per Kalendas, Nonas, & Idus; tamen retrocedendo ab anno prȩsenti iuxta consuetudinem Christiani Populi, *qui ferias, & hebdomadas obseruat, inquiremus à qua feria Cæsar primum annum solarem incepit ab anno* 45. *ante Christum &c.* & inuenit (vt modò diximus in vers. Quartò præmittendum) fuisse in die Sabbati.

Sextò præmittendum, quòd cùm Iulius Cȩsar annum Romanum susque deque labantem depræhendisset; ita vt menses hyberni, in Autumnum incurrerent, reformandum censuerit, & relicto anno lunari Numæ Pompilij Regis solarem annum 365. dierum cũ quadrante elegerit, illumque ita aptauerit ad vsus ciuiles, vt dictus quadrans diei deesset; statuerit, vt quarto quoque anno Sacerdotes vnum diem intercalarent eo mẽse, ac loco, quo etiam apud veteres intercalabatur, nempè ante quinque vltimos Februarij mensis dies; & sic Calendis Ianuarij incepit primus annus noui Calendarij Iuliani die Sabbati 45. ante Christum annis: sed quia Iulius Cæsar anno sequenti à dicta reformatione occisus fuit, & Sacerdotes perperàm intellexerunt dictam intercalandi rationem, ex quo cùm oporteret diem intercalare, nimirùm addere mensi Februario post singulos quatuor annos expletos; illi tertio anno expleto intercalabant: Hic error (vt scribit Ma-

crobius Saturnalium Lib. 1. cap. 14.) ſex & triginta annis permanſit, quibus annis intercalati ſunt dies duodecim, cùm debuerint intercalari nouem. Hunc errorem ſerò depræhenſum corrigere cœpit Auguſtus annis 8. ante Chriſtum; quia annos duodecim ſine intercalari die tranſigi iuſſerit, vt illi tres dies, qui per annos 36. vitio ſacerdotalis feſtinationis excreuerant, ſequentibus annis 12. nullo die intercalato deuorarentur; poſt hæc vnum diem ſecundum ordinationem Cæſaris quinto quoque incipiente anno intercalari iuſſit.

Cùm igitur ad exteras Nationes perueniſſet fama huius correctionis, ſeu reſtitutionis Calendarij Iulij Cæſaris ab Octauiano Auguſto factæ ob intercalandi vitium ſuperioribus annis elapſum; ideò Sacerdotes, quorum cura & officium erat ad exteras quoque Nationes omnes longinquiores ſignificare rectum vſum anni Iuliani, nè diù ignotus error cunctis Gentibus longè, latèq; cum eorum dedecore patefieret, nulla habita ratione trium dierum; qui excreuerant, cœperunt ſtatim quarto quoque anno expleto intercalare; Proconſules autem, Prætores, Præſides, & Procuratores Cæſaris, qui longinquioribus Prouincijs, & Vrbibus ijs annis reſidentes ius faciebant, & qui cauſam huius erroris ignotam ab obitu Cæſaris, huiuſque correctionis modum ſcire non poterant,

donec

donec certiorarentur à Sacerdotibus Romanis, quam medelam tali errori poſſent adhibere, nihil innouare potuerunt; Proconſules verò, Prætores, & Præſides ſucceſſores in ijſdem Prouincijs, & Vrbibus exteris dictum errorem tanquàm id, quod fuit, & modò ampliùs non eſt, pro nihilo reputantes nulla medela indigere cenſuerunt, & præſertim cùm viderent intercalationem vnius diei, ſingulis quadriennijs expletis in Calendario Iuliano ritè, & rectè fieri à Sacerdotibus ſecundum Iulij Cæſaris, & Octauiani Auguſti decreta; quo ordine ſemper impoſterùm ſeruato, factum eſt in omnibus Gentibus, & Populis longinquioribus ab vrbe Romana, vbi dictorum trium dierum ademptio facta non fuit, vt trigeſimo-quarto Chriſti anno labente primus Ianuarij dies fuerit dies Lunæ, ſeu feria 2. & primus Februarij dies Iouis, ſeu feria 5. qui cùm eſſet annus communis, dies habuit 28. & ſic primus Martij dies fuerit etiam dies Iouis, ſeu feria 5. ac proindè dies 23. eiuſdem menſis Martij fuerit dies Veneris, ſeu feria ſexta.

Quòd autem ita euenerit, vt dictum eſt, fit notius; quoniam Hebræis multò minùs, quàm Proconſulibus, Prætoribus, & Præſidibus Romani Imperij cordi eſſe poterat dicti erroris medela; immò qualis fuerit Romæ iſta correctio, & quomodò fieri poterit in eorum Vrbibus, & Prouin-

cijs

cijs, ſcire negligebant, quia anno lunari vtebantur tanquàm eis ſacro, & ſecundum Legem Moſaycam præcisè obſeruando, & Ægyptij quoque, licet anno ſolari vterentur; tamen ob intercalationes eorum diuerſas ab illis anni noui ſolaris Iuliani, non priùs receperunt annum Iulianum niſi coacti poſt ſexdecim annos à dicta anni Iuliani inſtitutione; nimirùm quando Antonius, & Cleopatra ab Octauiano Auguſto nauali prælio ad Actium Promontorium victi ſunt, quòd fuit anno Nabonaſſaris 719. &c. vt refert Scaliger in lib. 3. de emend. temp. pag. 162. vbi de anno Ægyptiorum Actiaco: Propterea ex his, nimirùm propter errorem prædictum Sacerdotum Romanorum in intercalando vſque ad annum 36. ab inſtitutione anni Iuliani, & deindè propter malitioſam negligentiam Sacerdotum in ſignificando hunc eorum errorem remotioribus Populis prædictis Ægyptijs, Græcis, & Hebræis, earumque Prouinciarum, & Vrbium Proconſulibus, Prætoribus, & Præſidibus, modumque huius erroris corrigendi ab Octauiano Auguſto Romæ edictum, & adhibitum.

Inſuper ob ſpretum dicti noui anni Iuliani in Nationibus prædictis orta fuit diſcrepantia à primis fermè Eccleſiæ temporibus in numeratione dierum, & menſium inter Ægyptios, Græcos, & Romanos; ita vt menſis Diſtrus Græcorum, ſi-

cut

cut menſis Phamenoth Ægyptiorum, qui ſimul incipiebant cum menſe Martio Romanorum, inciperent 4. die Martij per dictum errorem trium dierũ, qui deuorandi erant apud Græcos, & Ægyptios, ſicut deuorati fuerunt Romæ per edictum Octauiani Auguſti, ac proindè dies 22. menſis Martij apud Græcos, & Ægyptios ob dictum trium dierum errorem ibi non correctum, factũ eſt, vt eſſet apud Romanos dies 25. Martij, veluti præclarè probatur ab ijs, quæ concludit Franciſcus Turrianus diſputans cum Carolo Bouio de die Æquinoctij tempore Chriſti Domini; an eſſet die 22. vt ſcripſit B. Clemens I. Pont. Max. an die 25. eiuſdem menſis Martij, vt fama erat, minimè tamen cogitans de errore dictorum triũ dierum iam diù à Sacerdotibus Romanis commiſſo, nec in Ægypto, nec in Græcia correcto; dùm in annotationibus ad Conſtitutiones Apoſtolicas cap. 18. lib. 5. ſupradicti B. Clementis I. Pont. Max. qui vixit anno 60. circiter poſt Chriſtum, affirmat menſem, qui dicitur à Græcis Diſtrus, non eſſe eundẽ prorsùs cum menſe Martio, ſed incipere in 4. die mẽſis Martij, ita vt vigeſima ſecunda dies menſis Diſtri coincidat, & idem ſit cum vigeſima-quinta die Martij; *Ita verò eſſi* (inquit) *temeritatis eſſet non credere tanto Auctori, quantus eſt Clemens, rem ſui temporis, cui contradici non poteſt, narranti*: ſubdens, *ſed tritum eſt illud* Philoſo-

phi,

phi, & quasi vice prouerbij; ad pauca respicientes facile enuntiare. Secundò fit euidentiùs ex ijs, quæ affirmat S. Anatolius Episcopus Laodicenus, qui vixit anno Christi 280. in suo libro de Pascha, vbi inquit; *Est ergo in primo anno initium primi mensis, quod est decem & nouem annorum circuli initium secundum Aegyptios quidem mensis Phamenoth vigesima-sexta die; iuxta Macedones verò Distri mensis vigesima-secunda, secundum Romanos verò mensis Martij 25. die, idest 8. Kalendas Aprilis*. Vigesima autem sexta dies mensis Ægyptiorum Phamenoth, & vigesima-secunda dies mensis Macedonum Distri est 11. Calendas Aprilis, nempè die 22. Martij, quidquid deindè Beda, qui viuebat anno Christi 730. & alij posteriores cum eo senserint tanquàm nihil quoque cogitantes de dicto errore trium dierum Sacerdotum Romanorum in lib. de Ration. temp. cap. 12. & in lib. de celebratione Paschæ, seu Æquinoctio vernali.

Idem voluit B. Theophilus ante dictũ S. Anatolium, dùm in Synodo Palestinæ conuocata iussu S. Victoris Papæ contra Quartadecimanos statuit, vt terminus Paschalis initium sumeret à die 21. Martij, vbi Æquinoctium fieri non ignorabit tanquàm eruditissimus, & à peritis Astronomis edoctus, & non à die 25. Martij, quemadmodùm ab ijs Episcopis communiter opinabatur nihil cogitantes de tribus illis diebus perperã addi-

additis anno Iuliano à prædictis Sacerdotibus Romanis, per quam additionem ab eis factam menſi Februario detraxerunt illos à menſe Martio; & ſic quando erat ſecundum Romanos dies 25. Martij, ille dies erat 22. eiuſdem menſis ſecundum Calendarium erratum, quo ignoranter vtebantur Græci, & Ægyptij, ac ſucceſſiuè Chriſtiani omnes in Græcia, & Ægypto degẽtes poſt Chriſtum: *Chriſtianiſmus enim*, vt tradit Scaliger in lib. 5. de emend. temp. pag. 494. ſecundæ edit. *nuſpiàm maiores radices egit, quàm in Ægypto; nuſpiàm plures, aut acriores Chriſtianæ doctrinæ vindices.*

Rursùs quòd addere in ſpatio annorum 36. menſi Februario tres dies ſupra magnitudinem anni Iulianam, fuerit cauſa, vt dicti tres dies, & cum eis tres feriæ indebitè detraherentur à menſe Martio; & propterea dies, qui dicendus erat poſt Februarium Martij vigeſimus-quintus, dictus fuerit vigeſimus-ſecundus, & feria, quæ ex. gr. erat tertia, euaſerit, & dicta fuerit feria ſexta, manifeſtum eſt cunctis Chronologis, & Aſtronomis, nã quemamodùm addendo ſingulis quadriennijs diem vnum Februario propter biſſextilem annum, dies ille 29. qui Februario additur, eſſet prima dies menſis Martij, niſi hæc intercalatio facta fuiſſet, & pariter feria illius diei non adſcriberetur menſi Februario, ſed menſi Martio,

K nem-

nempè primæ diei Martij; ita propter intercalationem prædictam priſcorum Sacerdotum Romanorum exceſſiuam dictorum trium dierum in ſpatio dictorum 36. annorum, dies Martij, qui dicebatur primus, erat quartus, & feria primæ diei, quæ ex. gr. dicebatur ſecunda, nempè Lunæ, erat quinta, nimirùm Iouis; & dies, qui dicebatur 22. erat 25. & feria, quæ v. gr. erat quinta, dicebatur prima, videlicet Dominica. Et hinc eſt, vt ſupra diximus, quòd Quartadecimani ex Actis Pilati habuerint Chriſtum paſſum fuiſſe die 25. menſis Martij: Pilatus enim numerabat dies menſium more Romano ſecundum correctionem ab Octauiano factam dictorum trium dierum, ſed in Iudæa, Ægypto, & Græcia, aliiſque exteris, & longinquioribus Populis tanquàm dictæ correctionis ignaris numerabantur, ac ſi dicta correctio trium dierum emanata non fuiſſet, & ideò dies ſecundum correctionem Octauiani 25. menſis Martij erat eis dies 22. Martij, & ſic dies illa 22. fuit dies, in qua Chriſtus traditus eſt Pilato, nempè feria 5. ſcilicet die Iouis dicto anno Chriſti 34. & dies 23. fuit illa, in qua crucifixus eſt, nimirùm feria 6. die Veneris; & dies 25. fuit illa, in qua reſurrexit, ideſt dies Dominicus, feria prima, ſeu prima Sabbati.

Hinc eſt, quòd S. Epiphanius in Panario hæreſ. 51. contra hæreſim, quæ non ſuſcipit Euange-

ge-

gelium S.Ioannis,& Apocalipſim, vt refert Marcellus Francolinus in Tract. de temp. hor. canon. cap.78. num. 7. pag. 397. *Chriſtum reſurrexiſſe dixit ante vndecimum Kalend. Aprilis, ideſt die 22. menſis Martij, quæ erat* (inquit) *Aequinoctium, atque eo anno Iudæos in celebrando Paſcha tumultuantes anticipaſſe tres dies, & Saluatorem noſtrum non aliter feciſſe* Paſcha, *ſed etiam ipſum cum facientibus æqualiter feciſſe, vt non diſſolueret Legem, ſed impleret.* Quòd autem dies ante vndecimum Calendarum ſit idem apud optimos Grammaticos,ac dies vndecimus Calendarum, latiſſimè probat idem Marcellus in cap. 73. dicti ſui tractatus à num. 3. vſque ad finem, vbi eadem ſentit de Lactantio Firmiano ita pariter ſcribente; & num. 9. de S. Epiphanio circa menſem, & diem Baptiſmi Chriſti Domini. Exiſtimauit enim Epiphanius Hebræos tribus diebus anticipaſſe Paſcha; quia numerauit dies menſis Martij,ac ſi rectè geſtæ fuiſſent à Sacerdotibus Romanis intercalationes ex edicto Iulij Cæſaris faciendæ menſi Februario,neque erratum fuiſſet ab eis in tribus diebus prædictis, per quorum additionem dicto mẽſi Februario fuerunt in cauſa, vt dies 25. Martij diceretur 22. Quòd autem indebitè S.Epiphanius adſcripſerit Hebræis illegitimam Paſchæ celebrationem eo anno, patet ex S. Anſelmo ſuper Mathæo cap.27. & in lib. 2. de Imagine Mundi

cap. 17. quæ ſupra allegauimus.

Veteres autem Galli,& Thuſci ideò diem 25. Martij diem Reſurrectionis fuiſſe crediderunt; quia ſumpſerunt diem 25. Martij more Ægyptiorum, & Græcorum, ac ſi dicta Octauiani correctio emanata non fuiſſet, & conſequenter more SS. Patrum primitiuæ Eccleſiæ ibidem in Ægypto, vt dictum eſt; & ideò cùm dies 25. Martij ſecundum correctionem Octauiani eſſet Ægyptijs, & Græcis, & in Iudæa dies 22. vt modò diximus, & dies illa 22. fuerit dies, in qua traditus eſt Chriſtus Pilato, & dies ſequens 23. fuerit dies ſuæ crucifixionis; ergo dies 25. fuit dies ſuæ Reſurrectionis.

Et hinc quoque factum eſt, vt alij inter quos Victorinus egregius & celebris Cycli paſchalis ſupputator ab Hilario Pont.Max. euocatus ad correctionem Calendarij Romani Anno Chriſti 467.vt refert etiam Paulus Middelburgenſis Epiſcopus Foro-ſempronienſis in 2. parte ſuæ Paulinæ lib.5.cap.5. qui diẽ 26.Phamenoth Ægyptiorum exiſtimantes eſſe eundem cum die 26.Martij Romanorum,quia poſt acceptationem Calendarij Romani menſes illorum incipiebant ſimul cum illis Iulij Cæſaris,& cum ijſdem deſinebant, & numerus duodecim menſium, ac dierum anni 365.vtriſque erat idem, vt ſupra indicauimus, & patet ex Reinholdo in tabulis Prut.præcept.4. & 5.

& 5. & in Canone vertendi dies anni Iuliani in dies anni Ægyptij, & è contra nihil ſcientes de errore dictorum trium dierum, putauerint Chriſtum paſſum eſſe die 26. Martij, & die 28. reſurrexiſſe: Etenim ob dictum errorem trium dierum ſupra neglectum in dictis Prouincijs, & Vrbibus remotioribus ab Vrbe Romæ dies, qui ſecundum correctionem Octauiani Auguſti more Romano erat 26. Martij, dicebatur apud Ægyptios, Græcos, & in Iudæa dies 23. in quo crucifixus eſt Chriſtus; & dies qui ſecundum eandem Auguſti correctionem more Romano erat 28. Martij, dicebatur in Ægypto, & Græcia dies 25. in quo Chriſtus Dominus reſurrexit.

Denique ad hactenùs enarratæ veritatis euidentiam in ſupremum gradum certiſſimã hucvſque inuictam, & impoſterùm perpetuò inuincibilem conſtruximus quatuor ſequentes Tabulas; in quarum prima Tabula tanquàm in ſpeculo patet, quòd nulla facta ademptione illorum trium dierum exceſſiuè à Romanis Sacerdotibus intercalatorum, ſeu (quod idem eſt) additorum menſi Februario in ſpatio annorum 36. ab anni Iuliani inſtitutione, in qua primus annus habitus eſt pro biſſextili, vt notat etiam Scaliger in Lib. 4. de emendatione temporum pagina 156. primæ editionis, dies 23. menſis Martij anni Chriſti Domini 34. labentis, fuerit feria ſexta,

nem-

nempè dies Veneris ; in ſecunda verò Tabula pariter inſpicitur, quòd etiam ſi annus biſſextilis Iulij Cæſ. poſtponatur, & per huiuſmodi poſtpoſitionẽ annus 36. à dicta inſtitutione anni Iuliani non ſit biſſextilis, ſed annus 37. tamen dies 23. Martij anni Chriſti 34. labentis fuit pariter dies Veneris, ſeu feria 6. In tertia autem Tabula, vbi ſit ademptio dictorum trium dierum exceſſiuè à Sacerdotibus Romanis intercalatorum, dies 23. menſis Martij anni Chriſti Domini 34. labentis fuit dies Martis, ſeu feria 3. Romæ ; ſed in Iudæa, & Aegypto nulla illorum trium dierum facta ademptione, fuit dies Veneris, ſeu feria 6. In quarta denique Tabula pariter velut in ſecunda inſpicitur, quòd etiam ſi annus biſſextilis Iulij Cæſaris poſtponatur, & non ſit annus 36. ab Inſtitutione Iuliana biſſextilis, ſed annus 37. tamen dies 23: menſis Martij anni Chriſti 34. labentis fuit pariter dies Martis, ſeu feria 3. Romę, ſed in Iudæa, & Ægypto nulla illorum trium dierum facta ademptione, fuit pariter dies Veneris, ſeu feria ſexta.

Titulos autem dictarum quatuor Tabularum hic infra ſequentium ob eorum prolixitatem ante dictas Tabulas præponere cenſuimus.

Tabula prima intercalationis vitioſæ à Sacerdotibus Romanis factæ ab initio Inſtitutionis anni Iulij Cæſ. vſq; ad annum 36. eiuſdem Iulij Cę-

ſaris,

ſaris, & ſucceſſiuè correcta, quò ad intercalationem ſingulis quadriennijs expletis faciendam per edictum Octauiani Auguſti abſque ademptione in Iudæa, & Ægypto dictorum trium dierum exceſſiuè intercalatorum à dictis Sacerdotibus, per quam dies 23. Martij fuit dies Veneris, ſeu feria 6. in Iudæa, & Ægypto.

Tabula ſecunda eiuſdem intercalationis vitioſæ, in qua fit intercalaris annus 37. Iulij Cæſaris, & non 36. vt erat in præcedenti Tabula prima. In qua ſecunda Tabula etiam apparet correctio Octauiani Auguſti, vt ſupra quò ad intercalationem ſingulis quadriennijs expletis faciendam abſque ademptione in Iudæa, & Ægypto dictorum trium dierum exceſſiuè intercalatorum à dictis Sacerdotibus, vt pateat quòd per poſtpoſitionem anni intercalaris, ſeu biſſextilis, nulla fit mutatio feriæ in anno Chriſti 34. communi, ſed eadem eſt cum illa Tabulæ primæ, & ſic dies 23. Martij pariter fuit dies Veneris, ſeu feria 6. in Iudæa, & Ægypto.

Tabula tertia eiuſdem intercalationis vitioſæ ab initio inſtitutionis anni Iulij Cæſaris, vſque ad annum 36. eiuſdem Iulij Cæſaris: In qua tertia Tabula correctio Octauiani Auguſti ſucceſſiuè apparet per ademptionem quoque dictorum trium dierum Romæ initam, & in qua annus 0. & 36. Iulij Cæſaris fit intercalaris, & annus

quo-

quoque Iulianus 52. qui eſt Chriſti 7. fit intercalaris, ſeu biſſextilis: Ex quibus anno Iulij Cæſaris 79. & Chriſti 34. labente communi, dies 23. Martij ſit feria 3. nempè dies Martis Romæ ſecundum omnes Chronologos, & Aſtronomos.

Tabula quarta, in qua eiuſdem intercalationis vitioſæ ab initio inſtitutionis anni Iulij Cæſaris ſucceſſiuè apparet correctio Octauiani Auguſti Romæ, vt ſupra, facta per ademptionem eorumdem trium dierum; & in qua primus annus inſtitutionis Iulii Cæſaris fit communis, & quartus intercalaris, & annus 37. etiam intercalaris, & non annus 0. & 36. intercalares. Itemque annus 53. Iulij Cæſaris, & Chriſti Domini 8. fit intercalaris, & non annus 52. qui eſt Chriſti 7. veluti facti ſunt in Tabula tertia præcedenti; ex quibus anno Iuliano 79. & Chriſti 34. labente communi dies 23. Martij fit pariter feria 3. ſeu dies Martis Romæ; vt elucеſcat quoque quòd poſtpoſitio anni intercalaris nullam parit feriæ mutationem in anno Chriſti 34. communi.

Si quis autem obijceret primam, & ſecundam Tabulam non æquè demonſtrare feriam Natiuitatis Chriſti Domini; quia in prima Tabula annus dictę Natiuitatis, qui eſt ſecundus poſt biſſextilem, nempè 46. labens ab inſtitutione anni Iu-

liani

liani, oſtendit diem Martis, ſeu feriam tertiam: In ſecunda verò Tabula annus Natiuitatis Chriſti eſt primus poſt biſſextilem, & pariter 46. labens ab inſtitutione anni Iulij Cæſaris, & oſtendit diem Solis, ſeu Dominicum; quare ſi Tabulæ diſſentiunt in exhibendo feriã Natiuitatis Chriſti Domini, pariter neque definient feriam Paſſionis eiuſdem: Nam reſponderetur primò, quòd Tabula ſecunda minimè exarata eſt ad probandam feriam Paſſionis Chriſti, quia dicta feria latiſſimè probatur per Tabulam primam; ſed exarata, poſitaque eſt in confirmationem primæ, & ex ſuperabundanti, vt latiùs pateat veritas feriæ Paſſionis Chriſti Domini iam probata per dictam Tabulam primam; nam nonobſtante poſtpoſitione anni biſſextilis facta in Tabula ſecunda, tamen eadem eſt feria in anno Chriſti 34. communi labente, vt viſum eſt.

Fallitur enim, qui putat intercalationem, & poſtpoſitionem anni biſſextilis diſſentientem à prima Inſtitutione anni Iulij Cæſaris, eiuſque feria reperta in prima die dicti anni veri Iuliani poſſe præiudicare ferijs à dicta Inſtitutione deriuantibus ſeruato ordine intercalationis iuxta Æram, & edictum Iulij Cæſaris; qui ordo intercalandi iuxta Epocham Iulianam incoeptus non nihil fuit immutatus in Æra Chriſtiana firmanda; nam annus 45. Iulij Cæſaris, in cuius fine ni-

mirùm in menſe Decembris natus eſt Chriſtus, in Epocha Iuliana eſt primus poſt biſſextilē deſcendendo, & tertius poſt biſſextilem in aſcendendo, nimirùm in annos retronumerando: ſed iuxta ÆramChriſtianam dictus annus 45. factus eſt biſſextilis, vt omnes anni ſequentes Chriſti per quatuor æquè diuiſi nobis facilè exhiberent biſſextilem; quæ regula non valet in annis Iulianis, ſcilicet ante natum Chriſtum, vt ait Origanus Part. 1. de temp. cap. 2. pag. 35. ſecundæ edit. Anno 1609. cuius verba ſunt ſequentia; nempè *Modus quo cognoſcitur, nùm propoſitus aliquis annus communis, vel biſſextilis ſit, alius non nihil eſt in annis poſt Chriſtum; alius in annis ante Chriſtum natum datis. In annis à nato Chriſto datis diuiduntur ſolummodò dati anni Chriſti per quatuor; ſiquidem primus annus ante Chriſti primus fuit poſt biſſextilem, & numerus ex quaternaria diuiſione reſiduus monſtrabit quæſitum: Communis enim iudicabitur, ſi aliquid, biſſextilis ſi nihil remanſerit, ipſe verò reſiduus quotus à biſſextili ſit, oſtendet. In annis verò ante Chriſtum datis (ſi, vt æquum eſt, Iulianum annum ad principium vſque mundi retronumeramus) auferatur primùm à datis annis vnitas, quandoquidem annus, quo Chriſtus natus eſt in Decembri iuxta vulgatam opinionem fuit biſſextilis; poſteà reliqui diuidantur per quatuor, & reſiduum (ſi quod eſt) quoque monſtrabit annum communem; nullum verò reſiduum*

an-

annum biſſextilem; vlteriùs ternarius reſidui annum primum, vnitas annum tertium poſt intercalarem. Veluti datur annus 747. ante natum Chriſtum, quo ipſo Æra Nabonaſſari incidit, aufero primum vnitatem, & reſiduum 746. diuido per quatuor, relinquuntur duo, quæ oſtendunt annum fuiſſe communem, & ſecundum à biſſextili: Hæc Origanus. Huius quoque diuerſitatis ratio legitur in Prodromo noſtro cap. 9. pag. 222. Itaque ex hac vnitate, quæ ſubtrahitur pro inuentione biſſextilium ante natum Chriſtum, colligitur apertè ratio dictæ poſtpoſitionis anni biſſextilis; quæ poſtpoſitio, & vnitas in cognitione biſſextilium ante natum Chriſtum auferenda, non debet (vti dictum eſt) veritatem celare, & ferijs ab inſtitutione Iulij Cæſaris deriuantibus vllo modo præiudicare, ſed inuicem conciliare vtramque Æram, vt verè conciliat, & adæquat annos biſſextiles Iulianos cum biſſextilibus annorum Chriſti. Quod fit euidentius, quia ſecundum inſtitutionem, Æram, ſeu Radicem Iulij Cæſaris minimè vitiatam à Sacerdotibus Romanis, tàm dies Natiuitatis Chriſti, quàm Kalendis Ianuarij ſequentis poſt ſeptem dies à Natiuitate Chriſti, Romæ fuiſſet dies Sabbati; quemadmodùm dies Paſſionis anni Chriſti 34. labentis Romæ verè fuit dies Martis, tàm per eandem Æram, ſeu Radicem Iulij Cæſaris non vitiatã, quàm per correctam (vt ſupra)

ab Octauiano Augusto, vt patet etiam in Tabulis tertia & quarta sequentibus, & veluti circa Christi Natiuitatem docet quoque Reinholdus in Tab. Prut. Præcepto 7. pag. 24. & 25. nam quàmuis secundum Radicem, seu Epocham Christi Domini, qua omnes Astronomi, vnanimiter vtuntur; quia ab ipsa commodiùs incipiunt numerare annos bissextiles, ita vt in singulis quadriennijs ab Epocha Christi dicantur anni bissextiles, nempè omnes quadriennij sequentes à quarto anno Christi, omnesque centesimi ab eadem Epocha Christi labentes; cùm in Æra Iulij Cæsaris anni bissextiles omnes numerarentur singulis tribus annis ab Epocha, seu Radice Christi; quàmuis (inquam) annus 45. labens ab institutione, seu Radice Iulij Cæsaris fuerit bissextilis secundum dictam Radicem, seu Epocham Christi, & annus 46. labens ab eadem Radice, seu Æra Iulij Cæsaris fuerit primus post bissextilem secundum eandem Radicem Christi; tamen secundum veram Radicem, atque Epocham Iulij Cæsaris annus 44. labens à dicta eiusdem Radice, seu Institutione verè fuit bissextilis, & annus 45. labens verè fuit primus post bissextilem; & propterea per regulam eorundem Astronomorum dempta vnitate à dicto anno 45. labente secundum Æram Christi prædictam, fit annus 44. labens, & sic bissextilis velu-

ti ſecundum edictum Iulij Cæſaris verè eſſe debuiſſet, & annus 46. labens Kalendis Ianuarij fit 45. labens; & ſic primus poſt biſſextilem, in cuius anni fine natus eſt Chriſtus, nimirùm die 25. Decembris, cui diei competebat Romæ feria Sabbati, ſi dicti Sacerdotes rectè iuxta Iulij Cæſaris inſtitutum intercalaſſent; quia pariter poſt dies ſeptem à Natiuitate Chriſti, nempè Kalendis Ianuarij anni 46. labentis ab inſtitutione Iulij Cæſaris Romæ fuiſſet feria Sabbati: Annus enim ante Chriſti Natiuitatem, vt firmat Reinholdus vbi ſupra pag. 25. cùm fuerit biſſextili, feria competens Kalendis Ianuarij dicti anni biſſextilis fuiſſet quinta, nempè dies Iouis, & conſequēter feria Kalendis Ianuarij anni ſequentis à dicto anno biſſextili, ſcilicet primi poſt biſſextilem, fuiſſet (vt dictū eſt) dies Sabbati; ſi dicti Sacerdotes rectè intercalaſſent. Veruntamen quò ad feriæ mutationem errat Reinholdus, & cum eo Ioannes Lucidus in Opuſc. de vero die Paſſionis Chriſti cap. 6. quia, vt dictum eſt, cùm annus 45. labens ab inſtitutione Iulij Cæſaris verè non fuerit biſſextilis, ſed primus poſt biſſextilem, & ideò communis; propterea Kalendis Ianuarij dicti anni 45. labentis, antequàm Chriſtus naſceretur, non fuit feria 5. ſcilicet dies Iouis, vt ait Reinholdus vbi ſupra, ſed verè fuit feria 6. nempè dies Veneris, & Kalendis Ianuarij anni ſequentis fuit
dies

dies Sabbati, si Sacerdotes (vt dictum est) rectè intercalassent; quod præclariùs patet in Tabula annorum bissextilium, & feriarum secundum anni Iulij Cæsaris Institutionem minimè vnquā vitiata; quæ Tabula hic inferiùs exarata est.

Ex his igitur sequentibus Tabulis fit quoque manifestum, quòd feria diei 25. Decembris Natiuitatis Christi Domini propter dictam intercalationem vitiosam trium dierum in Iudæa, & Ægypto fuit dies Martis, nempè feria tertia, vt videre est in Tabula prima, & secunda; iuxta verò institutionem Iulij Cæsaris, & tunc incoeptam correctionem Octauiani Augusti duorum dierum ex tribus excessiuè intercalatis à Sacerdotibus Romanis, Romæ fuit dies Dominicus, vt videre est in Tabula tertia, & quarta; velut etiam senserunt fuisse diem Dominicum Ciacconius in Historijs Pontificum Romanorum, in Isagoge, in Imperatorum temporum supputatione; atque in vita Christi. Et Petrus Opmeerus in Chronographię parte altera, siue Operis Chronographici Orbis vniuersi lib.4. pag. 303. Et etiam Ioannes Henricus Alstedius in Cyclopedia lib 32.cap.21. Et velut etiam quòd correctio dictorum trium dierum ab Octauiano Augusto edicta, absoluta non fuerit nisi anno 4. post Christi Natiuitatē, vt videre est in dicto Cal. Greg. cap. 21. pag. 411. Et nos diximus in cap.4. de Anno ciuili Iulij Cęs.

At-

At ſi quis diceret mutatã feriã ob ſubtractionem Februario factam vnius diei ab Octauiano, & per additionem eiuſdem diei factam ab eodem menſi Auguſto, de qua Macrobius, & latè Cenſorinus in libro de die natali, in cap. de Menſibus; ibi, *Quintilis autem menſis, teſte Macrobio, Iulius eſt appellatus; quia hoc menſe ad quartum Idus Quintilis Iulius Cæſar procreatus ſit: Sextilis autem indè dictus eſt Auguſtus ab Octauiano Auguſto ob auctam ab eo Rempublicam &c.* Et huic menſi tunc additus eſt dies vnus à Februario ſubtractus, nè Auguſtus Iulio inferior videretur; & ideò Februario mutilato 28. dies ei relicti ſunt in anno communi, cùm priùs haberet ex decreto Iulij Cæſaris dies 29 in anno communi, & dies 30. in anno biſſextili. Reſpõderetur ex hac mutilatione diei à menſe Februario, & additione eiuſdem facta menſi Auguſto euenire non poſſe feriæ mutationem, nec in fine, nec in principio cuiuslibet anni Iuliani; quia exindè non deſijt annus communis perpetuò conſtare ex diebus 365. & annus biſſextilis ex diebus 366. & quàmuis mutauerit feriam primæ diei menſis Martij, tamen eam reſtituit menſi Septembris. Cùm autem hoc ab Octauiano factum fuerit anno 16. Imperij ſui, & ante Chriſti Domini aduentum anno 27. vt notat Ioannes Lucidus in Tabulis Annalium temp. fol. 112. pag. 2. nihil intereſt, quòd tunc mutata fue-

fuerit feria prima diei mensis Martij, nam eo tempore Christus Dominus nec natus erat neque passus fuit; & propterea præiudicare non potest dicta mutilatio diei Natiuitatis, nec Passionis suæ, quæ fuit post plurimos annos à dicta mutilatione, quando mensi Februario semper debentur dies 28 in anno communi, & dies 29 in anno bissextili, vt supputanti Ferias facilè videre est.

Natus est ergo Christus Dominus in Bethlehem Iuda anno ab Institutione Iulij Cæsaris 45. fermè completo, ad cuius finem deerant dies sex, die 24. Decembris media nocte, ineunte die 25. feria autem fuisset Sabbati in dicta die 25. Decembris, si Sacerdotes Romani rectè intercalassent annum Iulianum, nec indebitè tres dies addidissent mensi Februario in spatio 36. annorum ab Institutione Iuliana: quapropter in Iudæa, & Ægypto prædicta dies Natiuitatis Christi incidit in feria tertia, nimirùm in die Martis; Romæ verò fuit dies Dominicus ob incœptam Octauiani correctionem duorum dierum ex tribus excessiuè intercalatis à præfatis Sacerdotibus Romanis, vt patet supra in Præmittendo 5. quæ Octauiani correctio in Iudæa, & Ægypto ignorabatur, vt supra visum est post 6. Præmittendum.

Ta-

Tabula annorum bissextilium, & feriarum secundum Anni Iulij Cæsaris Institutionem, ac si nunquam vitiata fuisset à Sacerdotibus Romanis.

An. Iul. Cæs.	An. Chr.	1. Ian.	Feriæ.
0			
1		♄	Sabb.
2		☉	Dom.
3		☾	Fer. 2
4 Interc.		♂	3
5		♃	5
6		♀	6
7		♄	Sabb.
8 Interc.		☉	Dom.
9		♂	Fer. 3
10		☿	4
11		♃	5
12 Interc.		♀	6
13		☉	Dom.
14		☾	Fer. 2
15		♂	3
16 Interc.		☿	4
17		♀	6
18		♄	Sabb.
19		☉	Dom.
20 Interc.		☾	Fer. 2
21		☿	4
22		♃	5
23		♀	6
24 Interc.		♄	Sabb.
25		☾	Fer. 2
26		♂	3
27		☿	4
28 Interc.		♃	5
29		♄	Sabb.
30		☉	Dom.
31		☾	Fer. 2

An. Iul. Cæs.	An. Chr.	1. Ian.	Feriæ.
32 Interc.		♂	3
33		♃	5
34		♀	6
35		♄	Sabb.
36 Interc.		☉	Dom.
37		♂	Fer. 3
38		☿	4
39		♃	5
40 Interc.		♀	6
41		☉	Dom.
42		☾	Fer. 2
43		♂	3
44 Interc.		☿	4
45	0	♀	6
46	1	♄	Sabb.
47	2	☉	Dom.
48 Interc.	3	☾	Fer. 2
49	4	☿	4
50	5	♃	5
51	6	♀	6
52 Interc.	7	♄	Sabb.
53	8	☾	Fer. 2
54	9	♂	3
55	10	☿	4
56 Interc.	11	♃	5
57	12	♄	Sabb.
58	13	☉	Dom.
59	14	☾	Fer. 2
60 Interc.	15	♂	3
61	16	♃	5
62	17	♀	6
63	18	♄	Sabb.

An. Iul. Cęs.	An. Chr.	1. Ian.	Ferię.
64 Interc.	19	☉	Dom.
65	20	♂	Fer. 3
66	21	☿	4
67	22	♃	5
68 Interc.	23	♀	6
69	24	☉	Dom.
70	25	☽	Fer. 2
71	26	♂	3

An. Iul. Cæs.	An. Chr.	1. Ian.	Feriæ.
72 Interc	27	☿	4
73	28	♀	6
74	29	♄	Sabb.
75	30	☉	Dom.
76 Interc.	31	☽	Fer. 2
77	32	☿	4
78	33	♃	5
79	34	♀	6



Tabula I. Intercalationis vitiosæ.

An. Iul. Cæs.	An. Chr.	1. Ian.	Feriæ.
0			
1		♄	Sabb.
2		☉	Dom.
3 Interc.		☾	Fer. 2
4		☿	4
5		♃	5
6 Interc.		♀	6
7		☉	Dom.
8		☾	Fer. 2
9 Interc.		♂	3
10		♃	5
11		♀	6
12 Interc.		♄	Sabb.
13		☾	Fer. 2
14		♂	3
15 Interc.		☿	4
16		♀	6
17		♄	Sabb.
18 Interc.		☉	Dom.
19		♂	Fer. 3
20		☿	4
21 Interc.		♃	5
22		♄	Sabb.
23		☉	Dom.
24 Interc.		☾	Fer. 2
25		☿	4
26		♃	5
27 Interc.		♀	6
28		☉	Dom.
29		☾	Fer. 2
30 Interc.		♂	3
31		♃	5
32		♀	6
33 Interc.		♄	Sabb.
34		☾	Fer. 2
35		♂	3
36 Interc.		☿	4
37		♀	6
38		♄	Sabb.
39		☉	Dom.
40 Interc.		☾	Fer. 2
41		☿	4
42		♃	5
43		♀	6
44 Interc.		♄	Sabb.
45	0	☾	Fer. 2
46	1	♂	3
47	2	☿	4
48 Interc.	3	♃	5
49	4	♄	Sabb.
50	5	☉	Dom.
51	6	☾	Fer. 2

An. Iul. Cæs.	An. Chr.	1. Ian.	Feriæ.
52 Interc.	7	♂	3
53	8	♃	5
54	9	♀	6
55	10	♄	Sabb.
56 Interc.	11	☉	Dom.
57	12	♂	Fer. 3
58	13	☿	4
59	14	♃	5
60 Interc.	15	♀	6
61	16	☉	Dom.
62	17	☾	Fer. 2
63	18	♂	3
64 Interc.	19	☿	4
65	20	♀	6
66	21	♄	Sabb.
67	22	☉	Dom.
68 Interc	23	☾	Fer. 2
69	24	☿	4
70	25	♃	5
71	26	♀	6

An. Iul. Cæs.	An. Chr.	1. Ian.	Feriæ.
72 Interc.	27	♄	Sabb.
73	28	☾	Fer. 2
74	29	♂	3
75	30	☿	4
76 Interc.	31	♃	5
77	32	♄	Sabb.
78	33	☉	Dom.
79	34	☾	Fer. 2

Prima dies Ianuarij Anni Christi 34 communis, fuit dies Lunæ, Feria 2.

Prima dies Februarij, qui habuit dies 28. fuit dies Iouis, Feria 5.

Prima dies Martij fuit dies Iouis, Feria 5.

Dies 23. Martij fuit dies Veneris, Feria 6.



Tabula Secunda.

An. Iul. Cæs.	An. Chr.	1. Ian.	Feriæ.
1		♄	Sabb.
2		☉	Dom.
3		☾	Fer. 2
4 Interc.		♂	3
5		♃	5
6		♀	6
7 Interc.		♄	Sabb.
8		☾	Fer. 2
9		♂	3
10 Interc.		☿	4
11		♀	6
12		♄	Sabb.
13 Interc.		☉	Dom.
14		♂	Fer. 3
15		☿	4
16 Interc.		♃	5
17		♄	Sabb.
18		☉	Dom.
19 Interc.		☾	Fer. 2
20		☿	4
21		♃	5
22 Interc.		♀	6
23		☉	Dom.
24		☾	Fer. 2

An. Iul. Cæs.	An. Chr.	1. Ian.	Feriæ.
25 Interc.		♂	3
26		♃	5
27		♀	6
28 Interc.		♄	Sabb.
29		☾	Fer. 2
30		♂	3
31 Interc.		☿	4
32		♀	6
33		♄	Sabb.
34 Interc.		☉	Dom.
35		♂	Fer. 3
36		☿	4
37 Interc.		♃	5
38		♄	Sabb.
39		☉	Dom.
40		☾	Fer. 2
41 Interc.		♂	3
42		♃	5
43		♀	6
44		♄	Sabb.
45 Interc.	0	☉	Dom.
46	1	♂	Fer. 3
47	2	☿	4
48	3	♃	5
49 Interc.	4	♀	6
50	5	☉	Dom.
51	6	☾	Fer. 2
52	7	♂	3

An. Iu-

An. Iul. Cęs.		An. Chr.	1. Ian.	Ferię.
53	Interc.	8	☿	4
54		9	♀	6
55		10	♄	Sabb.
56		11	☉	Dom.
57	Interc.	12	☾	Fer. 2
58		13	☿	4
59		14	♃	5
60		15	♀	6
61	Interc.	16	♄	Sabb.
62		17	☾	Fer. 2
63		18	♂	3
64		19	☿	4
65	Interc.	20	♃	5
66		21	♄	Sabb.
67		22	☉	Dom.
68		23	☾	Fer. 2
69	Interc.	24	♂	3
70		25	♃	5
71		26	♀	6
72		27	♄	Sabb.
73	Interc.	28	☉	Dom.
74		29	♂	Fer. 3
75		30	☿	4
76		31	♃	5
77	Interc.	32	♀	6
78		33	☉	Dom.
79		34	☾	Fer. 2

Prima dies Ianuarij Anni Christi 34 communis, fuit dies Lunæ, Feria 2.

Prima dies Februarij, qui habuit dies 28. fuit dies Iouis, Feria 5.

Prima dies Martij fuit dies Iouis, Feria 5.

Dies 23. Martij fuit dies Veneris, Feria 6.



Tabula Tertia.

An. Iul. Cæs.		An. Chr.	1. Ian.	Feriæ.
0	Interc.			
1			♄	Sabb.
2			☉	Dom.
3	Interc.		☽	Fer. 2
4			☿	4
5			♃	5
6	Interc.		♀	6
7			☉	Dom.
8			☽	Fer. 2
9	Interc.		♂	3
10			♃	5
11			♀	6
12	Interc.		♄	Sabb.
13			☽	Fer. 2
14			♂	3
15	Interc.		☿	4
16			♀	6
17			♄	Sabb.
18	Interc.		☉	Dom.
19			♂	Fer. 3
20			☿	4
21	Interc.		♃	5
22			♄	Sabb.
23			☉	Dom.

An. Iul. Cæs.		An. Chr.	1. Ian.	Feriæ.
24	Interc.		☽	Fer. 2
25			☿	4
26			♃	5
27	Interc.		♀	6
28			☉	Dom.
29			☽	Fer. 2
30	Interc.		♂	3
31			♃	5
32			♀	6
33	Interc.		♄	Sabb.
34			☽	Fer. 2
35			♂	3
36	Interc.		☿	4
37			♀	6
38			♄	Sabb.
39			☉	Dom.
40--			☽	Fer. 2
41			♂	3
42			☿	4
43			♃	5
44--			♀	6
45		0	♄	Sabb.
46		1	☉	Dom.
47		2	☽	Fer. 2
48--		3	♂	3
49		4	☿	4
50		5	♃	5
51		6	♀	6

An.Iul.Cęs.	An. Chr.	1.Ian.	Ferię.
52 Interc.	7	♄	Sabb.
53	8	☾	Fer. 2
54	9	♂	3
55	10	☿	4
56 Interc.	11	♃	5
57	12	♄	Sabb.
58	13	☉	Dom.
59	14	☾	Fer. 2
60 Interc.	15	♂	3
61	16	♃	5
62	17	♀	6
63	18	♄	Sabb.
64 Interc.	19	☉	Dom.
65	20	♂	Fer. 3
66	21	☿	4
67	22	♃	5
68 Interc.	23	♀	6
69	24	☉	Dom.
70	25	☾	Fer. 2
71	26	♂	3

An.Iul.Cæs.	An. Chr.	1.Ian.	Feriæ.
72 Interc.	27	☿	4
73	28	♀	6
74	29	♄	Sabb.
75	30	☉	Dom.
76 Interc.	31	☾	Fer. 2
77	32	☿	4
78	33	♃	5
79	34	♀	6

Prima dieș Ianuarij Anni 34. Christi fuit dies Veneris, feria 6.

Prima dies Februarij dies Lunæ, feria 2. habuit dies 28. quia fuit Annus communis.

Prima dies Martij dies Lunæ, feria 2.

Dies 23. Martij dies Martis, feria 3. additis verò tribus diebus à Sacerdotibus exceſſiuè intercalatis fuit dies Veneris, ſeu feria 6. vt in prima, & in ſecunda Tabula.



Tabula Quarta.

An. Iul. Cęs.	*An. Chr.*	*1. Ian.*	*Ferię.*
1		♄	Sabb.
2		☉	Dom.
3		☾	Fer. 2
4 Interc.		♂	3
5		♃	5
6		♀	6
7 Interc.		♄	Sabb.
8		☾	Fer. 2
9		♂	3
10 Interc.		☿	4
11		♀	6
12		♄	Sabb.
13 Interc		☉	Dom.
14		♂	Fer. 3
15		☿	4
16 Interc.		♃	5
17		♄	Sabb.
18		☉	Dom.
19 Interc.		☾	Fer. 2
20		☿	4
21		♃	5
22 Interc.		♀	6
23		☉	Dom.
24		☾	Fer. 2
25 Interc		♂	3
26		♃	5
27		♀	6
28 Interc.		♄	Sabb.
29		☾	Fer. 2
30		♂	3
31 Interc.		☿	4
32		♀	6
33		♄	Sabb.
34 Interc.		☉	Dom.
35		♂	Fer. 3
36		☿	4
37 Interc		♃	5
38		♄	Sabb.
39		☉	Dom.
40		☾	Fer. 2
41		♂	3
42		☿	4
43		♃	5
44		♀	6
45	0	♄	Sabb.
46	1	☉	Dom.
47	2	☾	Fer. 2
48	3	♂	3
49	4	☿	4
50	5	♃	5
51	6	♀	6
52	7	♄	Sabb.

An. Iul. Cęs.		An. Chr	1. Ian.	Ferię.
53	Interc.	8	☉	Dom.
54		9	♂	Fer. 3
55		10	☿	4
56		11	♃	5
57	Interc.	12	♀	6
58		13	☉	Dom.
59		14	☾	Fer. 2
60		15	♂	3
61	Interc.	16	☿	4
62		17	♀	6
63		18	♄	Sabb.
64		19	☉	Dom.
65	Interc.	20	☾	Fer. 2
66		21	☿	4
67		22	♃	5
68		23	♀	6
69	Interc.	24	♄	Sabb.
70		25	☾	Fer. 2
71		26	♂	3
72		27	☿	4

An. Iul. Cęs.		An. Chr.	1. Ian.	Ferię.
73	Interc.	28	♃	5
74		29	♄	Sabb.
75		30	☉	Dom.
76		31	☾	Fer. 2
77	Interc	32	♂	3
78		33	♃	5
79		34	♀	6

Prima dies Ianuarij anni 34. Chrifti, qui fuit communis, dies Veneris, Feria 6.

Prima dies Februarij, dies Lunæ, Feria 2.

Prima dies Martij, dies Lunæ, Feria 2.

Dies 23. Martij, dies Martis, Feria 3. additis verò tribus diebus à Sacerdotibus exceſſiuè intercalatis fuit dies Veneris, ſeu feria 6. vt in prima & ſecunda Tabula.



Ex his

Ex his ergo hactenùs deductis, & demonſtratiuè probatis primò corruunt computationes illorum, qui extra dictum diem 23. Martij, qui verè fuit feria ſexta, dixerunt Chriſtum fuiſſe crucifixum in dicto anno ſuæ ætatis 34. quia nec illa feria fuit ſexta (vt modò viſum eſt) neque in die illa fuit Plenilunium: Et eò magis concidunt opiniones reliquorum, qui in alio anno Chriſti quàm 34. (etiam ſi de menſe Martij) ipſum fuiſſe mortuum aſſerant; quia in ea die nec fuit Plenilunium, neque feria ſexta, & quando fuiſſet vtrùque, tamen repugnaret eo anno doctrinę Patrum, vt ſupra viſum eſt, de anno Chriſti 31. & 36.

Secundò corruunt opiniones eorum, qui in menſe Aprilis ſupputauerunt Chriſtum fuiſſe crucifixum in feria ſexta, in qua tunc contigit Plenilunium; non ſolùm quia Chriſtus paſſus non eſt in menſe Aprilis, ſed in menſe Martio; verùm etiam quia dicta dies Plenilunij ab illis exiſtimata Paſchalis non fuit feria ſexta in Iudæa, & Ægypto propter nullam ibi habitã rationem dictorum trium dierum à Sacerdotibus Romanis exceſſiuè intercalatorum, vt ſupra plenè demonſtratum eſt; & eò magis corruit opinio illorum, qui in alijs diebus menſis Aprilis extra Plenilunium, aut diem Veneris, vel extra vtrumque, & in alio anno Chriſti Paſſionem fuiſſe exiſtimarunt.

Tertiò corrunt, quia cùm Veritas vnica sit, sanè tot sibi inuicem discordantes opiniones diuersorum Scriptorum alienæ sunt à Veritate, immò & vnius ac eiusdem Scriptoris in hac eadem re opinio sibi-ipsi contraria, nullo facto verbo de ratione, & causa mutationis prædictæ suæ opinionis, fidem detrahit vtrique suæ opinioni.

Et primò sit exemplum de Dionysio Petauio in Rationar. temp. parte 1. lib. 5. cap. 1. pag. 204. in vltima editione ab ipso recognita, vbi affirmat Christum fuisse passum, & mortuum imperante Tyberio, cùm ætatis quartum, & trigesimum expleuisset annum, die 23. Martij; deindè in parte 2. dicti Rationar. temp. lib. 4. cap. 4. cui titulus est, *De tẽpore Dominicæ Passionis, hoc est anno, mense, & die:* pag. 188. eiusdem editionis ab ipso recognitæ, probat, *anno ineunte 31. Æræ Dionysianę Iuliano 36. Tyberij labente 17. passum & in crucem actum Christum*. Deindè subdit; *de mense, ac die, quo passus est, cum Epiphanio, & antiquis alijs arbitramur Martij 23. illum fuisse, quo Nouilunium medium accidit Martij 12. Luna 15. Martij 26. sed propter lunaris Cycli labem triduò anteuertit, fuitque Luna 15. Martij 23. feria sexta, littera Dominicali* G. *quò die Christus interemptus, cùm pridiè cum Discipulis suis typicum pariter, & verum immolasset Agnum*.

In his duabus Petauij opinionibus concordantia earum est tantummodò in mense, & in die 23.

men-

menſis Martij; nam differentia trium dierum, nempè diei 26. Martij à die 23. eiuſdem in ſequenti opinione aſcribit Petauius vitio Cycli lunaris, quod aſcribendum erat vitio Sacerdotum Romanorum in intercalando dies menſi Februario, vt ſupra plenè viſum eſt. Diſcordãtia autem earum eſt in anno ætatis Chriſti, quæ diſcordãtia ſeu differentia concordari non poteſt; quia in nullo ex dictis annis Chriſtus Dominus paſſus fuit, videlicet neque anno 34. cõpleto, ſeu quod idem eſt 35. lab. neque in anno 31. labente, quod demõſtratiuè probatur; quia in anno 35. Chriſti labente Plenilunium, tùm medium, tùm verum fuit die 11. menſis Aprilis ſecundum computationem Aſtronomorum omnium, & Pauli Middelburgenſis in ſua Paulina lib. 7. parte 2. atque etiam Ioannis Baptiſtæ Riccioli, vt videre eſt penes Michaelem Manfredum in libro, cui titulus eſt, *Vindiciȩ Calend. Greg.* Propoſitione 2. pag. 16. minimè autem fuit, vt Petauius perperàm opinatur, in die 23. Martij dicto anno Chriſti 35. Plenilunium verò anni Chriſti 31. labentis fuit die 27. Martij, feria tertia; & ideò neque potuiſſet eſſe paſchale dictum Plenilunium, quia non incidit in feria ſexta, nec in die 26. vti Petauius vbi ſupra ſupponit.

Secundò ſit exemplum de Scaligero, qui dictum annũ Chriſti 34. exiſtimauit dicendum

esse 35. in lib. 6. de emend. temp. pag. 263. primæ edit. ac proindè anno Iuliano 79. & anno 1. Olympiadis 203. & sic concordat cum Ioanne Iacobo Hainlino Christum passum fuisse die 23. Aprilis feria sexta: Et propterea quemadmodùm hallucinatur Hainlinus, ita & Scaliger quoque; quia reuerà Plenilunium illud non fuit paschale, nec contigit die 23. Aprilis, sed die 22. Aprilis, & feria quinta, non autem feria sexta, præterquàm quòd ille mensis Aprilis dicti anni Christi 34. non fuit mensis Nisan, sed post Nisan, nempè Piar; nec ille annus fuit Hebræis Embolismus, & Cycli lunaris 17. Et ideò mensis Nisan necessariò incidit in nostro mense Martio, quidquid dicãt Hainlinus, & Scaliger; qui nimis crassa Minerua computarunt secundum Cyclos lunares Nouilunium, & Plenilunium illud, & speciatim Scaliger cum alijs Plenilunijs secundum ipsum paschalibus ab anno Christi 31. ad 35. semper ab Æquinoctio remotissimis, ita vt modò incidissent in mense Maio die 3. & die 7. modò in fine Aprilis die 23. & die 26. & profectò contra euangelicam quoque veritatem; quoniam, vt legitur in Euangelio Ioann. cap. 18. num. 18. tempore Passionis Christi *frigus erat, & calefaciebant se:* in fine autem Aprilis, vbi Scaliger Passionem Christi Domini supponit, sumus in medio Veris, & lege naturæ longè distantes à frigori-

gori-

goribus hyemalibus, & maximè Ieroſolymæ, vbi eleuatio poli borei ſupra illum horizontem, non eſt admodùm diuerſa ab illa Ægypti; at Scaliger prædictam computationem Pleniluniorum paſchalium, & præſertim determinationem illam, quòd Chriſtus Dominus paſſus fuerit die 23. Aprilis, retractat in ſecunda edit. ſui libri de emend.temp. in Prolegomenis pag. 28. & in lib. 6. vbi de anno Natalis Domini, eiuſque Paſſionis à pag.542.ad 562.& ſequen. & firmat Chriſtum fuiſſe paſſum anno pariter 35. labente, ſed die 3. Aprilis feria ſexta, anno 4. Olympiadis 202. & anno Iuliano 78. vacillans per multùm, dum annum Chriſti 34. dicendum eſſe 35.ſenſit in prima edit. & in ſecunda edit.annum Chriſti 33.dicendum eſſe ſenſerit pariter 35. In prima namque editione ſenſit AnnumChriſti Domini 1582.Dionyſianum,quem ſequitur Eccleſia, dicendum eſſe 1583. Et in ſecunda editione in Epiſtola dedicatoria,& in fine operis pag. 784. ſenſit Annũ Chriſti Domini Dionyſianum,1597. dicendum eſſe 1599. & vti talem ſecundum Eccleſiæ computum eſſe debere cenſet. Quæ opinionis inſolens mutatio ſine vlla euincenti ratione, immò multis referta contradictionibus in ſua Chronologia, quæ, vt ſupra vidimus, eſt damnata, quam fidem mereatur, omnes norunt; licet huic Viro aliòqui erudito parcendum ſit, quia tem-

po-

porum examen, non verò deffinitionem, neque determinationem tradere professus est, vt apertè fatetur in lib. 6. de emend. temp. in initio secundæ editionis.

Et quàmuis idem Scaliger in dicto lib. 6. vbi de anno Natalis Domini, eiusque Passionis pag. 164. laudet Ioannem Lucidum, dum inquit; *Primus omnium Ioannes Lucidus, Vir harum rerum peritissimus, animaduertit Christum passum Cyclo Lunæ 15. Olympiadis 202. anno 4. ætatis suæ 33. Dionysiano*. Tamen eorum nemo, neque cæteri, qui secuti sunt Ioannem Lucidum, attigerunt scopum veritatis: Etenim cùm varietas, & discordãtia inter Chronologos & Astronomos posteriores, non solùm circa mensem; sed etiam, quod deterius est, circa annum Passionis Christi Domini ortum habuerit à Plenilunijs, quæ potuerint esse paschalia, non coincidentibus in feria sexta, vt coincidere debere patet ex narratione euangelica; hinc est, vt coacti quodãmodò fuerint omnes ad perquirenda Plenilunia, quæ contigerunt in feria sexta, eaque expiscati sint ab annis Christi 30. vsque ad 36. vt Kepplerus in sua Sylua Chronologica; & exindè sibi non constans in Rodulphinis cap. 17. præcep. 62. vbi affirmat pro certo Christum passum fuisse anno 31. & quia Plenilunia ab ipsis adinuenta, vel non fuere paschalia, vel si fuere, non inciderunt in feria sexta;

ideò

ideò nullus eorum attigit veritatem.

Tertiò ſit exemplum de Ioanne Lucido, qui firmauit contra Paulum Middelburgenſem Chriſtum fuiſſe paſſum anno 33. labente, non autem 36. nam reperitur manifeſtè ſibi contradicere, & concludere Chriſtum fuiſſe paſſum anno 34. labente, non autem anno 33. labente; quia in lib.4. de emend. temp. cap.4. pag. 39. vbi de Monarchia Romanorum, eiuſque initio inquit: *Tyberius cœpit regnare mortuo Octauiano Auguſto anno Chriſti 16.* Et paulò poſt ait; *mortem & Paſſionem Chriſti fuiſſe anno 18. Tyberij.* Idemque confirmat in Opuſcul. de vero die Paſſionis Chriſti cap. 9. pag. 181. & 182. dum ibi inquit; *Aduertendum eſt, quòd in libro Euſebij anno 4. Olympiadis 202. cùm paſſus eſt Chriſtus, annotatur annus 19. Tyberij Cæſaris, cùm debuerit ibi annotari annus eius 18. quo anno ipſe Euſebius affirmat ipſum paſſum; & ideò hic error non eſt aſcribendus Euſebio, quia ſibi-ipſi contrarius eſſet, ſed ſcriptori, ſeu impreſſori, qui primum annum Tyberij annotauit ſtatim poſt annum 56. Imperij Auguſti: ſed quoniam Auguſtus imperauit annis 56. & 7. menſibus, ac diebus 19. à primo Conſulatu eius; ideò annotare debuerat primum annum Tyberij anno ſequenti, ſcilicet anno 3. dictæ Olympiadis, quando currebat annus Domini 16. ſicut rectè computat D. Antoninus, qui prima parte ſuæ Chronicæ titulo 6. cap. 21.*

§.1. *dicit: Cœpit autem imperare Tyberius anno à Natiuitate Domini* 16. *Indè sequitur, quòd anno* 4. *Olimpiadis* 201. *rectè annotetur annus* 18. *Imperij Tiberij: sic enim emendanda, & describenda est Tabula Eusebij &c.* Cùm itaque Christus Dominus esset annorum 16. quando cœpit imperare Tyberius, & crucifixus fuerit anno 18. eiusdem Tyberij, si dicti anni 16. simul addantur annis 18. fiunt anni 34. Christi, & non anni 33. quando crucifixus est ex ipso Lucido inconsideratè sibi contradicente. Facillimè autem incidunt Chronologi in hallucinationes, quando probare nituntur aliquid insigne in tali anno contigisse per simplicem enumerationem annorum, ac si adsint eis solidæ probationes in astronomicis demonstrationibus infallibilibus fundatæ, ab ijsque veraciter deriuatæ, nimirùm in tali Plenilunio incidente, in die Æquinoctij, vel post Æquinoctium, & in feria sexta, & in mense Martio; hanc autem hallucinationem fatetur Ioannes Lucidus in dicto Opusc. de vero die Passionis Christi cap. 9. pag. 182. quando, vt modò dictum est, concordare nititur Eusebium cum sua sententia, quòd Christus natus fuerit anno 4. Olympiadis 194. non autem anno 3. dictæ Olympiadis dum inquit: *sed inquirendum est, quare Eusebius in libro de temporibus annotet Christi Natiuitatem anno* 3. *Olympiadis*

dis 194. *Dicimus quia in Tabulis deſcriptis per lineas diſtinguentes annos, quandoque non ponuntur præcisè anni rerum geſtarum correſpondentes annis Olympiadum, vel Vrbis conditæ, vel Imperatorum propter diuerſa annoram principia; quoniam Olympiades incipiunt in Autumno, anni conditæ Vrbis in Vere; anni autem Imperatorum, quando ſumunt Imperium; ipſe ergo Euſebius retulit Natiuitatem Chriſti ad annum* Auguſti 42. *& quoniam annum* 42. *cùm conceptus & natus eſt Chriſtus, annotauit in* 3. *anno prædictæ Olympiadis, in eodem etiam anno poſuit Chriſti Natiuitatem; quia in eodem anno ciuili Chriſtus conceptus & natus eſt: Mihi tamen annotatur Natiuitas Chriſti anno* 4. *prædictæ Olympiadis, quoniam conceptio eius ſuit anno* 3. *cum dimidio exiſtente, & poſt* 9. *menſes natus eſt anno* 4. *inchoato per tres menſes, vt probatum eſt.*

Idem ſenſit etiam Scaliger in lib. 5. de emend. temp. pag. 125. ſecundæ edit. & in Prolegomenis eiuſdem ſecundæ edit. pag. 50. vbi inquit; *quòd adiectio annorum fraudi ſępè eſt propter annos expletos, ſi pro labentibus accipiuntur, & è contra.*

Cùm ergo prædictas ſanctiones, decreta, & traditiones SS. Patrum circa verum tempus Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti Domini, eiuſque Natiuitatis, demonſtrationibus Plenilunioorum, Æquinoctiorum, & Feriarum in ſupremum gradum certiſſimis plenè comprobare curaueri-

mus; quia hæc dilucidatio circumuolitantibus prædictis contrarijs opinionibus, modernorum desiderabilis admodùm videtur, & vtilis; proptereà audiendi non sunt, qui aliter (vt supra senserunt, & potissimùm de Passione in mense Aprilis, sed repræhendendi; quia tempus mortis, & Resurrectionis Christi modò est à dictis demonstrationibus astronomicis euidentissimis, ac perpetuò inuincibilibus hìc vberrimè ità comprobatum, vt minimè vnquàm dari possit aliud tempus à prædicatione Christi Domini vsque ad eius mortem, & Resurrectionem, in quo fuerit simul eadem die feria sexta, & Plenilunium paschale in mense Martio, nisi dicto Anno Christi 34. labente.

Igitur ex hactenùs historicè, & astronomicè plenè demonstratis, & secundum euangelicam veritatem, ac SS. Patrum vetustiorum sanctiones, decreta, traditionesque omninò venerabiles, quibus standum esset in dubio secundum Theologorum omnium sententiam, etiam si de veritate non constaret, pro vt euidenter ac plenissimè constat; necessariò concludendum est, quòd Christus Dominus crucifixus fuit anno suæ ætatis 34. labente, die Veneris 23. mensis Martij inter sextam, & nonam horam diei in Plenilunio, & resurrexisse die Dominico 25. eiusdem mensis

Mar-

Martij in aurora; qui dies 25. dicti menſis Martij fuit etiam dies ſalutiferæ Incarnationis eiuſdem Ieſu Chriſti Domini.

Hic autem annus Chriſti Domini 34. labens ſecundum eruditiores Chronologos, annorumque celeberrimorum Computatores incidit anno ab Vrbe condita 786. labente, ad cuius finem debebatur vnus circiter menſis, nimirùm quantum eſt à die 25. Martij ad diem 21. Aprilis, in quo fuit condita Roma, & anno 1. Olympiadum 203. à nouem menſibus inchoato, ſcilicet quantum eſt à fine Iunij, ſeu Solſtitio æſtiuo, vbi anni Olympiadum ſumpſerunt initium, vſque ad diem 25. Martij, vbi Chriſtus Dominus reſurrexit; ac proindè erat annus 809. labens ab Epocha Olympiadum ſecundum Ioannem Lucidum in lib. de emend. temp. in opuſc. de vero die Paſſionis Chriſti cap. 9. pag. 181. & 182. & Salianum in Annalibus Eccleſiaſticis; & ab Epocha Nabonaſſari erat annus 781. labens, & ſimiliter erat annus 745. labens ab Epocha, ſeu initio Inſtitutionis anni Numæ Pompilij; & annus 357. labens ab Epocha obitus Alexandri Magni; & demùm erat annus 79. labens ab Epocha Inſtitutionis anni Iuliani, & annus Tyberij 18. vt præclarè colligitur à celeberrimis his Epochis, quas determinauimus in cap. 10. noſtri

Pro.

Podromi, vbi de Epochis, seu Radicibus temporum insignium à pag. 227. vsque ad 237. Natus est autem Christus Dominus, vt diximus in Prodomo in dicto cap. 10. anno ab Vrbe condita 752. labente, ad cuius finem deficiebant ferè quatuor menses, scilicet quantum est à die 25. Decembris, quando natus est Christus, ad diem 21. Aprilis, quando incipiunt anni conditæ Vrbis, & tunc erat 4. annus 194. Olympiadis iam à sex mensibus inchoatus, scilicet quantũ est à fine Iunij, seu Solstitio æstiuo, quando Olympiadum anni sumunt initium, vsque ad diem 25. Decembris, cùm natus est Christus; ac proindè erat annus 775. lab. ab Epocha Olympiadum, vt etiam firmat Ioannes Lucidus in Lib. de emend. temp. in Opusc. de die Passionis Christi cap. 9. pag. 181. & 182. & Salianus in Annal. & ab Epocha Nabonassari fuit annus 747. labens, vt diximus in d. Prodromo, & similiter annus 711. lab. ab Epocha institutionis anni Numæ Pompilij, & annus 325. lab. ab Epocha obitus Alexandri; & ab Epocha Seleucidarum annus 311. vt dictum est. Et denique erat annus 45. ab Institutione anni Iuliani, ad cuius finem deerant dies 6. vt affirmat etiam Ioannes Lucidus in cap. 4. lib. 4. de emend. temp. pag. 39. & Reinholdus in Tab. Prut. post initium Canonum pag. 11. & in Ta-

bulis

bulis Directionum præcept. 10. & Salianus in Annal. vbi supra: Eratque annus 42. Imperij Augusti, vt Eusebius, Orosius, Eutropius, & Paulus Diaconus affirmant, sumentes annos Imperij eius à primo Consulatu, qui annus 42. erat iuxta finem, videlicet propè ante Calendas Ianuarij; quando Octauianus accepit primum Consulatum: Inquit enim Orosius lib. 7. Augusti Cæsaris; *Posteaquàm imperaret emenso propemodùm anno 42. natus est Christus*. Itaque priùs conceptus est iuxta principium 42. anni Augusti, vt videre est etiam in Ioanne Lucido vbi supra in dicto Opusc. de die Passionis Christi cap. 9. pag. 181. & 182. & etiam sensit Scaliger. in lib. 5. de emend. temp. pag. 257. nam ab anni institutione Iuliana, quæ coepit Calendis Ianuarij anni 45. ante Christi aduentum cum differentia 6. circiter dierum vsque ad primum Consulatum Octauiani, qui pariter coepit Calendis Ianuarij, effluxerunt anni tres exactè; ac proindè coepit regnare anno 42. ante Christum à primo Consulatu cũ dicta differentia 6. circiter dierũ, vt firmat etiã idem Ioannes Lucidus in dicto lib. 4. cap. 4. de emend. temp. pag. 39. vbi de Monarchia Romanorum, eiusque initio. Veritas autem huius Chronologiæ patet in dicto Prodomo, vbi supra, de motibus solaribus; & latiùs in Dialogo Sauinij

Muti,

Muti, & Mercurij à pag. 32. vſque ad 40. & ſequen. Et plenè in Clypeo Veritatis Dionyſii Verianeli aduerſus Vindicias Michaelis Manfredi; etiam per ſupputationes antiquiſſimarum Eclipſium ab Hipparcho obſeruatarum factas, tùm per Chriſti Domini, tùm per Iulii Cæſaris Epochas, Radiceſque certiſſimas exhibentes infallibiliter Plenilunia, Nouilunia, Æquinoctia, & Solſtitia omnium ſeculorum.



INDEX

RERVM NOTABILIVM.

A

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

Opi-

O

P

Quar-

Q

R

S

T

FINIS.

1

FRANCISCI LEVERAE NATIONE ROMANI, ET ORIGINE SABAVDI.

DE doctrina motuum, temporumque motuum cælestium omnium, videlicet primi motus, & secundorum motuum perfectissima, & de arte, ac methodo nouiter ab ipso adinuenta eos in omni æuo exactè calculandi. Et de eorumdem motuum effectibus naturalibus in his sublunaribus tum generaliter, tum singulariter. Et de ratione, & causis physicis dictorum effectuum à peculiarissima philosophia desumptis, & congestis, & in tres Tomos diuisa, pluresque libros, & plurima capitula, vt infra.

In primo autem Tomo, cuius nobiliora, & digniora studia nunc, si grata erunt, in lucem edere, est animus, infrascripta summatim, & deinde ordinatim continentur.

Nimirum.

DE motu primo, ab eoque deriuantibus motibus hactenus incognitis, & successiuè de secundis motibus cœlestium omnium corporum, & spherarum, eorúmque cum primo motu harmonia, nexu, numeris, temporibus, periodis, ac reuersionibus partim omnino ignotis, partim non plenè cognitis.

Et inter secundos motus. Primo.

DE Motibus Solis tanquam cœlestium omnium corporum Principis, Ducis, ac Regis, à quo reliquorum planetarum motus quoque tam medij, quam veri dependent, nec non etiam quodammodo stellarum fixarum, eiusque motuum periodis, ac reuersionibus ad quæcumque secula præterita, & futura supputandis exquisitissimè semper ad minutum, noua præfati authoris adinuentione, & arte solidissima.

Et propterea.

DE Anni Solaris, & Siderei magnitudine vera, atque in omnibus seculis tum præteritis, tum futuris certissima hactenus contro-

uersa, & incognita ad vsus vniuerso Terrarum orbi præclarissimos in cunctis ferè disciplinis, & artibus, & quam maximè vtiles omnibus Regnis, Rebuspublicis, ac Populis, ad integram quoque annorum tam Solarium, quam Lunarium, & Kalendarij quarumcumque gentium reformationem, nouamque institutionem.

Per quam magnitudinem.

NOn modo solis, & octauæ spheræ nempè stellarum fixarum motus verissimos, & perpetuò certissimos habitura est tota posteritas, sed etiam euidenter veriores, & in cunctis seculis retro elapsis, & futuris acceptabiles motus reliquorum planetarum, qui vt dictum est à motu solis singulariter pendent, & quibus hodie caret cum grandiori in dies iactura Respublica literaria populorum omnium Vniuersi.

PRÆFATIO AD LECTOREM

Operis totius præfatio in 6. capitula diuisa.

CAP. I.

DE Origine Astronomiæ artium, & scientiarum humanarum Reginæ, & Magistræ.

CAP. II.

DE Nobilitate eiusdem, vbi plura hactenus à nemine congesta referuntur.

CAP. III.

DE præstantia Astronomiæ, eiusque necessitate in cunctis fermè disciplinis, & artibus; & de vtilitatibus præclarissimis eiusdem in omnibus Regnis, & Rebuspublicis, plura nondum audita.

CAP. IV.

DE mira animi iucunditate, & oblectatione, quæ ab Astronomiæ, eiusque legitimo vsu existit,

CAP. V.

DE causis cur tàm raró pauci Astronomi sapientes fuerint, & sint in cunctis seculis.

CAP. VI.

DE legitimo, honorabili, & laudabilissimo studio Astronomiæ & consequenter etiam Astrologiæ naturalis, ac permissæ, vti ab Astronomia deriuantis, & de distinctione studij, & vsus illegitimi & punibilis secundum ius Canonicum, sacrum Concilium Tridentinum, & Constitutiones Sixti V. & Vrbani VIII. fel. rec. à studio, & vsu legitimo,& laudabili,eiusdem, plurima hactenus non compilata ad notitiam, & securitatem posteritatis Astronomiæ studiosæ.

TOMI PRIMI LIBER PRIMVS

De motu primo, ab eoque deriuantibus motibus.

CAP. I.

DE Vniuerso, eiusque origine, structura, ac Regiminis ratione, quam plura selectissima Astronomica, Philosophica, & Theologica.

CAP. II.

DE Sphera Primi mobilis, seu latione prima contra negantes dari corpus vllum in Cœlo, quod sit Primum mobile, aliosque, qui Primum mobile aiunt esse solem, aut octauam spheram, plenissimæ probationes.

CAP. III.

DE Primo mobili,eiusque forma,figura, & magnitudine naturali vera, eiusdemque motu velocissimo, ac regularissimo,eiusque corporis supremi virtutibus, ac viribus eminentissimis, demonstrationes physicæ ex Aristotele etiam desumptæ validissimæ,atque inuincibiles.

CAP. IV.

DE Zodiaco, eiusque figura, ac magnitudine physica, & minimè arbitraria contra Modernos quosdam, eiusdemque viribus, ac

A 2 virtu-

virtutibus eximijs, & de colligantia inter Primum mobile, & Zodiacum, circulationesque ipsorum, nec non inter Primum mobile, & secunda mobilia.

CAP. V.

DE Terrenæ molis immobilitate, eiusque existentia in centro mundi, & de motu solis annuo virtute propria, eiusdemque solis motu diurno erga terram viribus Primi mobilis, plura post examen omnium hactenus non deducta argumenta ad hanc veritatem plenè demonstrandam physicè, & Astronomicè, ac proindè de ijs, quæ in Vniuerso verè mouent, & ferunt corpora cœlestia, & quæ verè mouentur, & feruntur, & quot modis moueantur cuncta, quæ mouentur, de quibus etiam latè in cap. 7.

CAP. VI.

DE Primi mobilis, aliarumque spherarum, & Corporum cœlestium, & stellarnm etiam nouarum, & Cometarum substantia, & situ in cœlis, & ex quibus constent ea omnia, quæ mouent, & ferunt, quæque mouentur, & feruntur; & quomodo, quæ mouent reliqua moueant, & ferant; & quod Cœlum sit quartum Ignis elementum nobile, ac supremum contra Peripateticos, ex ipso etiam Aristotele clarè conuincitur; & de magnitudinibus quatuor elementorum Vniuerso proportionalibus; & de transmutationibus inuicem ordinatissimis eorumdem ad Vniuersi conseruationem, & de apparentibus veris Regionibus ipsorum in mundo, eorumque elementorum qualitatibus, & virtutibus etiam occultis.

CAP. VII.

DE Systhemate Mundi, nempe de ordine, ac situ spherarum, & stellarum, ac planetarum in eis, eorumque lationibus, & motibus, substantia, figura, magnitudinibus, & distantijs, examinatis omnibus, tum veterum, tum recentiorum systhematibus mundanis profundissimè, eorumque absurdis astronomicè, ac etiam physicè dilucidatis.

CAP. VIII.

STellas, & planetas suo naturali, ac proprio lumine lucere, & esse generaliter igneæ naturæ, & alios magis, alios minus micare; omnes autem magis viuido, & conspicuo lumine splendere à lumine solis,

ac proinde nec Venerem, nec Mercurium posse eclipsare, nec maculare Solem in aliquali ipsius particula, quidquid per Telescopia senserint hac ætate recentiores, quibus plenè respondetur Astronomicè, & physicè.

CAP. IX.

ASTRA, & planetas ex quatuor elementis non constare, vt nonnulli etiam nouissimè putant, sed alios esse magis, alios minus igneæ naturæ, & ex eis alios ex maiori, alios ex minori aereæ substantiæ portione, vt dictum est in cap. 6. & latè de hallucinijs quæ fiunt, & introducuntur in Republica literaria per Telescopia circa apparentias in sole, ac in luna, & reliquis planetis, nempe circa maculas & faculas.

CAP. X.

DE duabus primis, ac præcipuis Zodiaci diuisionibus, & de alijs eiusdem multiplicibus subdiuisionibus, earumque proprietatibus, viribus, ac virtutibus naturalibus plenissimè.

CAP. XI.

DE Figuris, seu Configurationibus, & Aspectibus, qui in Zodiaco sunt magis, & minus considerabiles, eorumque aspectuum origine, familiaritate, viribus, virtutibus, & colligantia, ac nexu inter aspectus maiores, & minores, nec non de Antiscijs, Imperantibus, & Obedientibus inter eadem signa Zodiaci.

CAP. XII.

DE Figuris, seu Aspectibus, qui in mundo sunt nempè in Horizontibus quibuscumque Orbis terrarum, reiectis aspectibus in Æquatore nuper excogitatis à nonnullis Astronomis.

CAP. XIII.

DE Radiationibus, Aspectibus, & Vibrationibus luminis harmonici planetarum ad Zodiacum, ac inter se. Itemque ad Horizontes quoslibet Orbis terrarum, ac proinde de quatuor positibus astrorum, & planetarum insignibus, nimirum respectu polorum Zodiaci, & respectu polorum mundi, seù Primi mobilis, & respectu Æquinoctialis circuli, & respectu Horizontis cuiuslibet Regionis orbis terrarum, &

consequenter de Ortibus, & Occasibus meridianis, & mediæ noctis, ac mediationibus, & imationibus cœli matutinis, ac vespertinis, eorumque Aspectuum virtutibus, & proprietatibus, ac viribus validissimis; & demum de Antiscijs Æquinoctialibus, eorumque robore, nempe de Condeclinationibus duorum, vel plurium planetarum, & stellarum, aut in eadem parte Zodiaci, aut in opposita, aut in parte eiusdem potentiæ aut imperanti, vel obedienti.

CAP. XIV.

DE methodo construendi, & diuidendi duodecim Domicilia cœlestia in singulis Horizontibus Orbis terrarum, nimirum mansiones Astrorum, planetarum, & signorum Zodiaci, tum æqualiter secundum vetustiores Astronomos, tum inæqualiter in vnoquoque ex dictis 12. domicilijs cœlestibus secundum Modernos, & Regiomontanum; & de validis rationibus, authoritatibus, & experientijs pro vtraque methodo, & vtriusque vsu; Itemque de diuisione eorumdem Cardinum, & de cuspidum viribus.

TOMI PRIMI LIBER SECVNDVS

CAP. I.

DE motibus deriuantibus à motu primo, & primum de motu Principe, qui dicitur ab Astronomis Directionum, eiusque origine, periodo, mensura, viribus, & actionibus, eiusdemque motus diuisione in rectum, obliquum, & æqualem, directum, & conuersum, annuum, & diurnum; Atque de differentijs virium, ac roboris inter directiones omnes; & de motu directionum composito, nempè de obuiationibus corporeis significatorum, & promissorum plurima hactenus recondita, & omnia luculentissimè, & vberrimè explanata.

CAP. II.

DE motu, qui dicitur ab Astronomis Progressionum, eiusque origine, actionibus, viribus, & cognatione, ac nexu cum motu Directionum, & de multiplici eiusdem diuisione in annuum, menstruum, & diurnum, æqualem, rectum, & obliquum, directum, & conuersum; & de motu progressiuo composito, nempe de obuiationibus progressiuis annuis, & menstruis hactenus ignotis, earumque viribus; & de ratione supputandi progressiones omnes æquales, & inæquales, seu obliquas ad significatores præcipuos cuiuslibet datæ Radicis tam directas

quam

quam conuersas, nec non dictas obuiationes progressiuas annuas, & menstruas.

CAP. III.

DE doctrina admirabili figurarum, numerorum, & concentuum motuum cœlestium, eorumque harmoniæ numeris nondum cognitis, & propterea de pluribus motibus, & reuersionibus, ac circulationibus velocioribus motu directionum annuarum simplicium, & tardioribus motu progressionum annuarum simplicium hactenus reconditis, eorumque origine à primo motu, eiusque & Zodiaci figuris, numeris, & diuisionibus harmonicis, eorumdemque virtutibus, viribus, vsu, & experimentis. Et de colligantia, ac nexu eorumdem cum motu tardissimo directionum annuarum, & cum velocissimo progressionum annuarum, nimirum de directionibus secundarijs, & ternarijs, atque de alijs progressionibus significatorum omnium præcipuorum tardioribus vsque ad progressiones annuas consuetas; & de temporibus actionum, quæ ab eis successiuè, & gradatim sunt inferioris roboris respectu directionum primariarum, quæ omnia diffusè, & vtiliter explicantur, velut ab vberrimo primi motus fonte emanantia.

CAP. IV.

DE motibus, reuersionibus, ac circulationibus longe admodum tardioribus motu directionum annuarum lege naturæ quadam, & per experientiam congruentibus numeris, & mensuris rarissimarum alterationum, & mutationum, & crisium, quæ post plura secula contingunt in elementis & mixtis corporibus sublunaribus diuturnioris durationis, veluti in Regionibus, & Vrbibus vt infra in cap.3. tomi 2. lib.2. qui motus hactenus sunt in abscondito in Republica literaria.

CAP. V.

DE causis primis naturalibus temporum omnium velociorum, & tardiorum nempè horarum, dierum, mensium, & annorum, eorumque inuicem, & cum suis causis videlicet Primo mobili, & Sole analogia, & consensu mirabili, eorumdemque vsu in Astronomia, disertè, & demonstratiuè reiectis varijs dierum excogitatis æquationibus; & nonnulla de viribus Temporis.

De Motibus ſecundis

Præfatio in quatuor capitula diuiſa.

CAP. I.

DE ijs, quæ Viri in Aſtronomia Principes inuenerunt ad cognitionem motuum cœleſtium ſecundorum, quique Aſtronomiam ſuis adinuentis illuſtrarunt, omiſſa turba Aſtronomorum ſeſe inuicem reprehendentium, & obiurgantium, qui nihil inuenerunt, ſed vel fideliter adinuenta à ſummis viris obſcurarunt, vel inuentis ſine vlla euincenti ratione contradixerunt.

CAP. II.

DE Cauſis potiſſimis neceſſariæ reſtaurationis Tabularum omnium tam priſcarum, quam modernarum, videlicet motuum cœleſtium in ijſdem Tabulis determinatorum per quoſcumque Aſtronomos in retroactis omnibus ſeculis obſeruatores.

CAP. III.

DE ijs, quæ requiruntur, vt beneficio Tabularum perpetuò habeamus motus nobis apparentes omnium ſtellarum, & planetarum, qui veri dicuntur abſque neceſſitate vllius reſtaurationis, ac nouarum Tabularum ampliùs.

CAP. IV.

DE motibus ſecundorum mobilium videlicet ſeptem planetarum abſolutis, ſimplicibus, æqualibus, vulgo medijs, eorumque motuum viribus, ac virtutibus plura ſcitu digna, & hactenus recondita.

De Sole, eiuſque Prærogatiuis, encomijs, & viribus.

CAP. I.

DE motu Periodico ſolis per Zodiacum, ſeù de Anni magnitudine in ſeculis ſuperioribus ab omnibus Aſtronomis obſeruata.

CAP.

CAP. II.

DE Anni magnitudine in cunctis ſeculis præteritis, & futuris eadem, eaque æqualiſſima, & inuariabili; & de Anno ſidereo, eiuſque nexu cum anno tropico, de quo latius in cap. 17. de ſtellis fixis. Et diffusè de cœleſtium omnium motuum commenſurabilitate.

CAP. III.

DE Collatione integra, quæ hactenus fieri à nemine potuit, priſcarum obſeruationum Æquinoctiorum cum modernis, & recentioribus eorumdem Æquinoctiorum obſeruationibus ad veram anni magnitudinem eliciendam in cunctis ſeculis, prout vberrimè elicitur, & fit euidentiſſima ſemper intra minutum ferè vnum temporis circiter tantum; Idque à duobus ab hinc millibus annis, & ampliùs.

CAP. IV.

DE vera Anni magnitudine per doctrinam harmoniæ & proportionis numerorum, figurarum, & concentuum motuum cœleſtium ſecundorum inuicem, & cum motu primo, ab eoque deriuantibus motibus, de qua ſupra in cap. 3. lib. 2. dictum eſt, per qnam fit manifeſtiſſima anni magnitudo ad momentum vſque temporis ſibi æterna lege naturæ exquiſitiſſimè debitum, ac præſcriptum.

CAP. V.

DE Apogæo ſolis, eiuſque vario ſitu ſub Zodiaco in ſeculis præteritis ſecundum Aſtronomorum obſeruationes, & ſupputationes etiam in Epocha à Chriſti Domini Natiuitate, & de motu annuo eiuſdem Apogæi ſecundum eoſdem; Et de varia ſolis mora in ſignis Borealibus, & Auſtralibus in retroactis ſeculis. Poſt quorum examen plenè determinatur inuariabilitas magnitudinis anni in qualibet mutatione Apogæi ſolaris, & referuntur virtutes, & proprietates motus eiuſdem Apogæi ſecundum Aſtronomos.

CAP. VI.

DE vero motu Apogæi ſolis, & periodo motus eiuſdem per Zodiacum in cunctis ſeculis æqualiſſimi, eiuſque ſitu in noſtra ætate, atque in Epocha Chriſti; & de methodo adinueniendi maximam moram ſolis dierum octo, & horarum ferè octo ſingulis annis magis in vno ſemicirculo Zodiaci, quam in altero, & conſequenter amplius

in

in vna ex duabus totius Orbis terrarum partibus, quam in altera, & præcipuè Boreali, & Auſtrali. Et de huius moræ periodo circulari, tam per Zodiacum, quam per vniuerſas Regiones orbis terrarum hactenus ignota. Et de Apogæi ſolaris, eiuſdemque motus nobiliſsimi, & moræ maximæ proprietatibus, viribus, & actionibus admirabilibus modo in his, modo in illis Orbis terrarum Regionibus ſuperis, & inferis per ſupputationes dicti motus, & moræ inueſtigandis.

CAP. VII.

DE Excentricitate ſolis à centro Orbis terrarum, & de ei congruente maxima æquatione centri perpetuò inuariabili, probationes plures etiam phyſicæ euidentes.

CAP. VIII.

DE Obliquitate Eclipticæ, ſeu maxima declinatione ſolis ab Æquiuoctiali, vel Æquidiali circulo ſecundum veteres, & modernos; & de immutabilitate eiuſdem, diſcuſsis Aſtronomorum omnium obſeruationibus latiſsimè. Et de fallacijs, ac erroribus in aſſumenda Eclipticæ obliquitate, velut etiam altitudinibus Poli Borei Vrbium, & loco ſolis apparente vero ſub Ecliptica.

CAP. IX.

DE Arte, ſeu methodo ſupputandi ſolis locum apparentem verum ſub Ecliptica ad quæcumque ſecula, vbi plura hactenus ignota enucleantur ad motuum ſolarium rectam, atque exquiſitam ſupputationem in omni æuo. Et de ſimplici, atque abſoluto ſolis motu medio in Radice, ſeu Epocha à Chriſti Natiuitate ſecundum omnes Aſtronomos, & poſt eorum examen concluſio de motu ſolis medio certiſſimo in Epocha Chriſti, & ad alias Epochas longiſsimè vetuſtiores ab ea. Et de imaginaria inæqualitate, & æquatione dierum probationes inuictæ.

CAP. X.

DE Motu abſoluto, ſimplici, medio, ſeù æquali ſolis diurno, & annuo, eiuſque diſtributione in Tabulas pro omnibus ſeculis, annis, menſibus, diebus, horis, minutis, & ſecundis, vbi deſcribuntur Tabulæ mediorum motuum ſolarium expanſæ, & colligendæ cum Epocha Chriſti Domini, & cum alia Epocha vetuſtiſsima determinata in cap. præcedenti, & vtraque redacta ad meridianum Vrbis

Romæ

137

Romæ per methodum reducendi medios motus ſolis ad omnes meridianos Vrbium, & Locorum, quorum hic datur diſquiſitio, & Catalogus. Itemque ſimul exhibentur etiam Tabulæ motus Apogæi ſolaris, nec non ſucceſsiuè Tabulæ æquationum excentri ſolis ad totius calculi ſolaris complementum in cunctis ſeculis exquiſitiſſimè ſemper ad minutum vſque.

CAP. XI.

DE Praxi, & vſu locupletiſſimo præcedentis Theoriæ ſolis, & Tabularum, per quas dantur quam plurima, & numeroſa exempla nempè ſupputationes locorum ſolis in vetuſtis, & proximè præcedentibus ſeculis accuratiſſimè obſeruatorum ab inſignioribus Aſtronomis, tum priſcis, tum modernis, vt per has quamplures etiam in diſtantiſſimis ſeculis locorum ſolarium demonſtrationes Arithmeticas elucefcat euidentiùs ſumma veritas huius doctrinæ, & adinuentionis perfectæ motuum ſolarium.

CAP. XII.

DE Cauſis anticipationis diei Æquinoctiorum, & Solſtitiorum poſt inſtitutionem Anni Iuliani, nec non poſticipationis eiuſdem diei æquinoctiorum, & ſolſtitiorum ante inſtitutionem eiuſdem anni Iuliani, vbi traditur modus adinueniendi tempora, & momenta æquinoctiorum, & ſolſtitiorum omnium in cunctis ſeculis præteritis, & futuris exquiſitiſſimè ad minutum temporis; Et exhibentur Tabulæ annorum maximorum ſolarium, necnon plurimæ Radices certiſſimæ æquinoctiorum, & ſolſtitiorum, horumque omnium vſus, & praxis, & quamplura exempla inſignia prò vlteriori demonſtratione ſupremæ veritatis huius doctrinæ motuum ſolarium.

CAP. XIII.

DE Reuolutionibus ſolaribus annuis à qualibet data vera Radice, ſeù principio ſupputandis perfectiſſimè in perpetuum; & de triplici reuolutione, ſeù circulatione, ac reuerſione ſolis hactenus non comperta, nimirum Annua per Zodiacum, & Quadriennali per Vniuerſum, & Anni maximi ſolaris, tam per Zodiacum, quam per Vniuerſum, earumque tabulis, vſu, praxi, ac viribus, & virtutibus eximijs tum ad augumenta, aut diminutiones effectuum, ſeu influxus directionum, tum ad accenſiones effectuum earumdem directionum imminentiū ad ſignificatores præcipuos radicales circa res corporis, nempe ad incolumitatem ſeruandam, & morbos pręcauendos.

CAP.

CAP. XIV.

DE Reuolutionibus menſtruis ſolaribus compoſitis cum reuolutionibus annuis ſolaribus, earumque Tabulis, praxi, vſu, & viribus.

CAP. XV.

DE Directionibus diurnis in reuolutionibus annuis, earumque vſu, & Tabulis.

CAP. XVI.

DE Reuolutionibus annorum mundi exquiſitè ſupputandis in cunctis ſeculis, earumque viribus, praxi, & vſu.

CAP. XVII.

DE Stellis fixis, & earum prærogatiuis, ac virtutibus, & ipſarum motu annuo, ac periodo motus per Zodiacum; Et de Anno ſidereo ſecundum omnes Aſtronomos celebriores; & poſt examen eorum concluſio de motu ſtellarum fixarum annuo, earumque periodo per totum Zodiacum primi mobilis; & de Anni ſiderei magnitudine certiſsima in omni æuo, eiuſque colligantia cum Anno Tropico, ſeù Æquinoctiali ſolari hactenus recondita.

CAP. XVIII.

DE immutabilitate perpetua latitudinis ſtellarum fixarum ab Ecliptica, examinatis prius, & inuicem collatis Aſtronomorum inſigniorum obſeruationibus.

CAP. XIX.

TAbulæ motus fixarum ſtellarum in longum per Zodiacum ad plura annorum millenaria.

CAP. XX.

RAdices, ſeù poſitus Inſigniorum Aſtrorum fixorum ad annum Christi Domini 1660.

TOMI

TOMI PRIMI LIBER TERTIVS PARS SECVNDA.

DE Anni Ciuilis, & Kalendarij, Computiq; Ecclesiastici integra restitutione, inuariabilitate, vniformitate, & introductione in Vniuerso Orbe Christiano.

CAP. I.

DE Anni Ciuilis magnitudine in cunctis seculis præteritis apud omnes gentes orbis terrarum, & propterea de Anno lunari, & solari apud Nationes omnes.

CAP. II.

DE Institutione Anni Ciuilis à Numa Pompilio secundo Rege Romanorum inita, & de Anno Romuli Primi Regis à Numa reformato.

CAP. III.

DE Reformatione anni Ciuilis à Iulio Cæsare per Sosigenem facta, & de restitutione, seù correctione omissionis dierum intercalandorum in anno Iuliano per Octauianum Augustum edicta.

CAP. IV.

DE Causis anticipationis diei æquinoctiorum post institutionem anni Iuliani Ciuilis, & de præcisa anticipatione dierum à prisca die æquinoctiorum tam de tempore Iulij Cæsaris, quam Numæ Pompilij vsque ad præsentem ætatem hactenus incognita propter motus solares nondum exploratos; Et de necessitate restitutionis dicti anni veteris Iuliani Ciuilis semper magis crescente.

CAP. V.

DE Reformatione Kalendarij, & Computi Ecclesiastici à Sacro Concilio Nicæno inita.

CAP. VI.

DE varijs cyclis lunaribus, & lunisolaribus adinuentis in diuersis seculis à pluribus Astronomis ad Kalendarij, & Computi Ecclesiastici sustentationem.

CAP.

CAP. VII.

DE plurimis eximijs Viris, qui in diuersis seculis scripserunt de reparatione Kalendarij, de Reformatione Anni, de doctrina Temporum, & de maximis diligentijs plurium Summorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum, ac Synodorum pro Kalendarij, & Anni reparatione, & reformatione.

CAP. VIII.

DE Reformatione Anni Iuliani Ciuilis, & Kalendarij, ac Computi Ecclesiastici à Gregorio XIII. P.O.M. facta, illiusque Pontificis laudibus, & gloria.

CAP. IX.

DE Causa anticipationis diei æquinoctiorum post reformationem Gregorianam, necnon de Causis non integræ restitutionis anni in prisca sede, in qua erat de tempore Sacri Concilij Nicæni, & propterea de integra restitutione, atque inuariabilitate Anni Gregoriani in perpetuum firmanda.

CAP. X.

DE quatuor modis pro dictis restitutionibus integris tam anni veteris Iuliani, quam Gregoriani, & pro anni perpetua inuariabilitate, accedentibus proximè ad mentem S.R.E. & Sacri Concilij Nicæni, & Gregorij XIII. P. Max. ijsque acceptabilioribus.

CAP. XI.

DE introductione integræ huius reformationis apud Populos Christianos Indiarum Incolas, penes quos Anni sunt lunares, neque Gregoriana reformatio hactenus introducta est.

CAP. XII.

DE determinatione temporum aptiorum pro Diuinis officijs, celebratione Missarum, Ieiuniorum, & pro alijs functionibus, & ritibus Ecclesiasticis apud Populos, quibus dies, & noctes sunt vnius, duorum, & plurium mensium.

CAP. XIII.

DE veræ diei Passionis CHRISTI Domini, & Redemptionis humani generis determinatione.

Ad

141

Ad Sanctissimum Patrem, ac Dominum, ALEXANDRVM VII. P.O.M.

Propositio.

DE Anni Gregoriani Institutione integra, eiusque inuariabilitate in perpetuum firmanda, & determinatione temporum aptiorum pro Diuinis officijs apud Christianos, quibus dies, & noctes sunt vnius, duorum, & plurium mensium, iuxta mentem, & desiderium Summorum Pontificum prædecessorum, & speciatim Vrbani VIII. fel. rec.

Ad Augustissimum Imperatorem LEOPOLDVM I.

Enarratio.

DE Anni Veteris Iuliani Ciuilis necessaria restitutione, modisque restituendi in sede sibi debita, & adæquata.

Post hæc. In lib. 4. eiusdem primi Tomi, vbi agitur de motibus Lunæ, & Eclipsibus luminarium continentur capitula 13. & succesiuè in lib. 5. vbi de motibus trium superiorum Planetarum, continentur capitula 8. de motibus Saturni, & totidem capitula de motibus Iouis, & capitula 9. de motibus Martis; Similiter in libro 6. vbi de motibus Veneris, & Mercurij continentur capitula 8. pro vnoquoque eorum; & denique capitulum vbi de Pasionibus Planetarum, eorumque proprietatibus, & significationibus naturalibus plenisimè.

IN Tomo autem II. vbi differitur amplisimè de effectibus naturalibus motuum cælestium in cunctis sublunaribus corporibus, Liber Primus continet capitula 25. vberrima, & copiosa circa artem Nauticam, Medicam, & Agriculturæ ritè, & rectè exercendam, & plura circa easdem artes præcepta, & documenta hactenus inaudita; Et Liber II. huius tomi 2. vbi agitur de effectibus motuum cælestium generalibus in mundo, & indiuiduis, continet capitula 15. locupletisima, & doctrinam pariter in pluribus reconditam.

IN Tomo demum III. vbi sermo est de ratione, & causis physicis dictorum effectuum naturalium, qui sunt tam generaliter, quam singulariter à motibus prædictis corporum cælestium in corporibus sublunaribus, Liber Primus continet capitula, seu propositiones 26. ad Diuinam, Naturalem, & Moralem philosophiam spectantes; Liber vero secundus vbi tractatur de viribus Artis in natura elementari, ac

etiam

etiam cœlesti, animali, & vegetabili, continet capitula, seu propositiones decem.

Quæ Capitula omnia in exordio primæ editionis ante præfationem extendentur, & describentur, veluti descripta hic sunt Capitula Tomi primi quamplura.

FInis autem, cuius gratia hæc Capitula promulgantur ante operis editionem, est, vt Reipublicæ Literariæ Vniuersi Orbis terrarum fiat notum, exoptabilissimam, & vtillimam hanc plurimis disciplinis, & artibus motuum præsertim solarium adinuentionem integram, nouamque artem, & methodum certissimam supputandi solares motus omnium seculorum, & consequenter motus quoque octauæ spheræ, & reliquorum planetarum; Nec non modos, & formas pro integra restitutione, inuariabilitate, vniformitate, & introductione in vniuerso Orbe Christiano Anni Ciuilis, & Kalendarij Ecclesiastici: Itemque plures demonstrationes, argumenta, & probationes physicas euidentes, & Astronomicas inuincibiles pro immobilitate Terræ, &c. tanquam studia fideli Ciue digna, & debita, esse præfati Auctoris, Diuino lumine sic fauente longæuis ipsius studijs, & laboribus 40. annorum, ne alteri iniustè ascriberentur, quando eorum editione fortuitò retardata, interim furtiuè sub alieno nomine prodirent in lucem. ex quo pluribus iam sub diuersis temporibus, & occasionibus ab eodem Auctore significata fuerunt.

Testimonia verò horum, aliorumque studiorum Mathematicæ, & Philosophiæ, tum naturalis, tum moralis præfati Auctoris, patent in libro Leonis Allatij de Viris Illustribus sub tit. Apes Vrbanæ edito Romæ apud Grignanum Anno 1633. pag. 107. dum de supradicto Auctore, eiusque editionibus loquitur; Itemque perspicua sunt in libro Ephemeridum Andreæ Argoli edito Romæ apud Facciottum anno 1629 in lib. 3. Astronomiæ cap. 16. de latitudine seruanda in directionibus pag. 263.

LAVS DEO,

ROMÆ, Ex Typographia Varesij. MDCLIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

FRANCISCI LEVERAE

CONFVTATIO

Nuper promulgatæ Chronologiæ Christianæ, & Dissertationis historicæ de anno, quo natus & passus est Christus.



QVONIAM circumfertur editio Parisijs nuper facta cuiusdam Chronologiæ Christianæ de Christo nato &c. nec non Dissertatio quædam hic Romæ promulgata sub fine mensis Iunij presentis Anni 1669. & in vtraque concluditur Christum Dominum passum fuisse anno suæ ætatis 33. labente, non autem anno 34. labente: Propterea nè hæc erronea, & damnata opinio in dies latiùs diuagetur, sed notissimus fiat illius error; opus est eam falsitatis redarguere, & omninò conuincere.

Primò itaque in prædicta Chronologia Christiana, quam Auctor profitetur verissimam detectis aliorum Chronologorum omnium coniecturis, & hallucinationibus per suas Tabulas, concludit Christum Dominum baptizatum fuisse anno 30. suæ ætatis incipiente, & passum fuisse anno 33. suæ ætatis, & anno quarto Olympiadis 202. atque anno 19. Imperij Tyberij. Hæc autem nec historicè neque astronomicè probat concludenter, immò ex Euangelio S. Lucæ in cap. 3. affirmat inopinatè contrarium, nempè Christum Dominum passum fuisse anno 34. labente, & non anno 33. suæ ætatis; nam si (velut ipse asserit) Christus baptizatus fuit anno 30. suæ ætatis incipiente, & tunc

ſecundum Euangelicam narrationem S. Lucæ erat annus 15. Imperij Tyberij Cæſaris, profectò cùm Chriſtus ſecundum hunc Auctorem paſſus fuerit anno 19. Imperij Tyberij Cæſaris, & ab anno 15. dicti Imperij Tyberij, vbi Chriſtus incœpit annum 30. effluxerint anni quatuor; ergo Chriſtus paſſus eſt anno 34. ſuæ ætatis incipiente, non autem anno 33. vt Auctor iſte perperam, & inconſideratè ſtatuit in ſua Chronologia Chriſtiana.

Secundò, in Diſſertatione hiſtorica prædicta, in qua pariter eius Auctor concludit Chriſtum Dominum fuiſſe baptizatum anno 30. ſuæ ætatis incipiente, idque contigiſſe anno 15. Imperij Tyberij Cæſaris ſecundum S. Lucæ textum in dicto cap. 3. & crucifixum eſſe anno 33. ſuæ ætatis labente, atque anno 18. Imperij Tyberij labente, quam opinionem nititur ſuadere per duas Tabellas continentes annos vrbis conditæ tempore Natiuitatis Chriſti, & annos eiuſdem Vrbis ab initio Imperij Tyberij, & annos Chriſti ab initio eiuſdem Imperij Tyberij: ſed nihil probat, neque concludit per dictas ſuas Tabellas Chronologicas, immò ſibi manifeſtè contradicit, etiam ſi breuis ſit dicta ſua Diſſertatio; nam per primam Tabellam probare nititur Chriſtum paſſum fuiſſe anno 33. ſuæ ætatis labente, & per ſecundam Tabellam, quæ (vt ait) continuatur cum præcedente prima Tabella, probat inaduertenter contrarium, nempè quòd Chriſtus paſſus fuit anno 34. ſuæ ætatis labente. In prima enim Tabella, quæ eſt in pag. 2. ſuæ Diſſertationis, firmat Chriſtum baptizatum fuiſſe anno 15. Imperij Tyberij labente, dum eſſet Ieſus incipiens annos 30. idque fuiſſe anno ab vrbe condita 781. & demum concludit Chriſtum mortuum anno 33. lab. ſuæ ætatis poſt quatuor Paſchata à baptiſmo, idque fuiſſe anno 784. ab vrbe condita, & Imperij Tyberij 18. & Iuliani curſus 77. & Olympiadis 202. anno tertio. In ſecunda verò Tabella,

quæ

quæ eſt in pag. 6. ſuæ Diſſertationis, per quam (velut inquit) continuatur dicta prima Tabella, & in qua ſecunda Tabella exhibet ſupradicta quatuor Paſchata à baptiſmo Chriſti vſque ad eius mortem, firmat Chriſtum non ampliùs anno 781. vrbis conditæ, & Imperij Tyberij 15. labente à die 19. Auguſti, & Chriſti 30. labente à die 25. Decembris fuiſſe baptizatum, ſed anno 782. vrbis conditæ, & Imperij Tyberij 16. labente à dicta die 19. Auguſti, baptizatum fuiſſe, & conſequenter non ampliùs anno Chriſti 30. labente, ſed anno 31. labente: nam ſi anno 781. ab vrbe condita, vt firmat dictus Auctor in prima Tabella, Chriſtus cœpit agere annum 30. die 25. Decembris dicti anni 781. qui erat menſis octauus ab Aprili, vbi incipiunt anni vrbis conditæ: equidem poſt duodecim dies à dicto ingreſſu ætatis Chriſti in annum 30. ideſt die ſexta Ianuarij, vbi ponit baptiſmum Chriſti, non poterat mutari annus vrbis conditæ 781. & fieri annus 782. vt ipſe Auctor malè ſupputat, nam deficiebant tres menſes cum dimidio à dicta die 6. Ianuarij vſque ad diem 21. Aprilis, in quo fuit condita Roma, nempè vbi incipiunt, & deſinunt anni vrbis, antequàm dici poſſet annus ab vrbe condita 782. Similiter in eadem ſecunda Tabella firmat Chriſtum fuiſſe crucifixum anno 785. ab vrbe condita, ac proindè non ampliùs 784. ab eadem vrbe condita, & conſequenter Chriſti 33. labente, ſed anno 785. & conſequenter Chriſti 34. labente. Vlteriùs in eadem ſecunda Tabella ſupputat Chriſtum fuiſſe crucifixum anno 18. Imperij Tyberij, cui anno 18. dicti Imperij Tyberij ſi competebat annus ab vrbe condita 784. ſanè non poterat competere annus 785. vt ipſe ſibi contradicens aſſerit. Itaque ſtatuit dictus Auctor Diſſertationis in dicta ſecunda Tabella Chriſtum fuiſſe crucifixum menſe Martio antequàm expleretur dictus annus 18. Imperij Tyberij per quinque menſes, & antequàm compleretur dictus

annus 785. vrbis conditæ per mensem ferè vnum, nempè quantum est à die 23. Martij, in quo crucifixus est Christus, ad diem 21. Aprilis, in quo fuit condita Roma, ac proindè anno ætatis Christi 34. inchoato à tribus mensibus; sic ergo Auctor dictæ Dissertationis sibi inaduertenter contradicendo destruit fundamenta Chronologica suæ intentionis de Christi morte anno 33. labente, & inopinatè cadit in veram de Christi morte sententiam anno ætatis suæ 34. labente, & Inperij Tyberij 18. labente, & vrbis conditæ 785. labente.

Verùm antequàm deueniamus ad integram Confutationem vtriusque Chronologiæ horum Auctorum breuiter recensenda sunt ea, quæ plenissimè comprobauimus in nostro Opusculo de Inuicta Veritate anni, mensis, & diei Passionis, & Resurrectionis Christi Domini, eiusque Natiuitatis, & quæ ab his neotericis Auctoribus post editionem dicti nostri Opusculi minimè excussa, neque confutata sunt; nimirùm primò, quòd Christus Dominus fuit crucifixus anno 34. suæ ætatis à tribus mensibus inchoato secundum priscas Sanctæ Ecclesiæ traditiones, & SS. Patrum consensum. Secundò, quòd eius Passio fuit in mense Martio ex eorundem SS. Patrum omnium sententia, nemine discrepante nisi ab Anno Christi 1430. circiter per nonnullos modernos ad pauca respicientes. Tertiò, quòd Christus fuit crucifixus die 23. mensis Martij ex vetustissimo Decreto Concilij Cæsareensis, iussu S. Victoris Papæ cōuocati. Quartò, quòd velimus vel nolimus, cogimur fateri per astronomicas supputationes Pleniluniorum paschalium ab anno ætatis Christi trigesimo, vsque ad trigesimnm sextum deductas ex Tabulis Astronomorum omnium, Christum Dominum non fuisse crucifixum alio anno, nec alio mense, neque alio die, quàm dicto anno 34. suæ ætatis, & dicto die 23. mensis Martij, cum quo anno, mense, & die concordant

cordant ſupradictæ vetuſtiſſimę traditiones Sanctę Eccleſię, & hiſtoria Euangelica; & cogimur indagare cauſam quare in Calendario Iulij Cæſaris dies illa 23. fuerit feria tertia, nempè dies Martis, & non feria ſexta, nimirùm dies Veneris, velut indagauimus. Quintò ex his conſequi viſum eſt, quòd Chriſtus crucifixus non fuit anno 33. ſuæ ætatis labente; quia non ſolùm hoc repugnat antiquæ obſeruantiæ Sanctæ Eccleſiæ in peculiari veneratione dierum Veneris menſis Martij, ſed etiam Euangelicæ hiſtoriæ, quia Plenilunium paſchale dicti anni 33. ætatis Chriſti labentis non inciditin menſe Martio, ſed in menſe Aprilis; neque fuit in die Plenilunij feria ſexta, ſeù dies Veneris in Iudæa, veluti fuit ex Euangelica narratione. Sextò quòd hæc opinio de Paſſione Chriſti anno 33. ſuæ ætatis labente tanquàm erronea, & abſurda, reiecta, & damnata fuit, acriterq; reprehenſus eius Auctor Toſtatus ſtatim à ſui principio.

Primò itaque communiſſima fuit, & eſt ſententia ex vetuſtiſſimo SS. Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum ferè omnium antiquorum, & modernorum conſenſu, atq; ex traditionibus Sanctæ Eccleſiæ, eiuſque ritu, & obſeruantia, Chriſtum Dominum ad Crucis ſupplicium veniſſe expleto iam 33. ſuæ ætatis anno, & inchoato 34. à tribus circiter menſibus, idque menſe Martio, vt inter alios teſtatur Henricus Philippi ſoc. Ieſu in ſuo libro de *Quæſtionibus chronologicis de annis nati, & paſſi Saluatoris*, in cap. 15. pag. 68. referens plures Auctores, nimirùm Alphonſum Salmerorem ſoc. Ieſu Tom. 1. in comment. in euangelicam hiſtoriam Prolegom. 38. de vera Chriſti ætate, Aſſert. ij. pag. 450. & Cardinales Baronium, & Bellarminum tanquàm duo S. R. E. lumina clariſſimè fulgentia per orbem Terrarum: Cardinalis enim Baronius id probat teſtimonio S. Ignatij Martyris, qui Chriſto viuente vixerat, eumque viderat, velut affirmat S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſia-

clesiasticis cap. 16. & quo nemo fidelior interpres S. Lucæ dari potest,& contra quam attestationem nullus os ponere, nedum impugnare deberet,vt legitur in Apparatu eiusdem Baronij ad Annales Ecclesiasticos num. 106. 107. & 108. & in Annalibus eiusdem sub anno Christi 31. à num. 16. ad 21. & sub anno Christi 34. à nu.141.ad 151. vbi refert ven. Bedam idem sentientem cum dicto S. Ignatio Martyre, nempè Christum passum fuisse anno ætatis suæ 34. à tribus ferè mensibus inchoato; & insuper attestantem idem semper sensisse, & obseruasse Ecclesiam Romanam, vt videre est in suo lib. de ration. temp. cap. 45. vbi inter alia hæc scribit Beda, *Sancta siquidem Romana, & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quæ suis in cereis annuatim scribere solet*; & cum hac eadem sententia Passionis Christi anno 34. lab. subdit idem Baronius consentire illos omnes, qui affirmant Christum natum anno 42. Octauiani Augusti, & passum anno 18. Imperij Tyberij, velut omissis Auctoribus Latinis ferè innumerabilibus, S. Ioannes Chrisostomus in serm. de Ioanne Baptista, Nicoetas, Cedrenus, & plures alij Græci. Eadem confirmat Henricus Spondanus in Epitome Annalium Baronij ad annum Domini 34. Cardinalis verò Bellarminus in dicto suo lib. de Script. Eccles. in parte altera suæ Chronologiæ pag. 37. similiter concludit, quòd *anno 42. Augusti inchoante nascitur Iesus Christus: nam anno 15. Imperij Tyberij compleuerat Iesus annos 30. Luc. 3. ergo anno 1. Tyberij compleuerat Iesus annos 15. ergo si demas ex annis Augusti 15. annos, concurrit annus primus Christi cum anno 42. Augusti*. Deindè subdit: *Christus mortuus est, & resurexit, & Petrum Ecclesiæ præfecit anno suo 34. scribit enim Beda lib. de ration. temp. cap. 45. fidem Ecclesiæ habere vixisse Christum in carne mortali paulò amplius triginta tribus annis*. Idem firmat Iacobus Salianus soc. Iesu in Epitome Annalium Ecclesiasticorum sub anno Christi

34. dum concludit, quòd *necesse est anni Passionis initium esse principium anni* 34. *vitæ Christi Domini nostri*. Idipsum confirmat Abraham Bucholcerus in Indice Chronologico emendato à pag. 148. ad 151. à primò anno prædicationis Christi incipiens; idem firmat Honuphrius Panuinus in Chronico Ecclesiastico.

Quòd autem Christus Dominus passus fuerit mense Martio, *Communissima fuit, & est* (inquit Salianus vbi supra) *omnium Christianorum ab initio Ecclesiæ in seculis omnibus repetita confirmataq; sententia, Christum mense Martio fuisse crucifixum*. Idemque testatur Ægidius Bucherius soc. Iesu in lib. 4. Belgici Romani Ecclesiastici cap. 7. pag. 137. dum ait; *Ante omnia Christum Martio mense passum vnanimis, & constans est Patrum antiquorum opinio, vsq; adeò vt vix vnus aliter sentire videatur*. Hoc idem euidentiùs patet etiam ex eo, quia singulæ feriæ sextæ, nempè dies Veneris mensis Martij Sacræ nuncupantur, & vti tales semper ex inueterata consuetudine singulariter venerantur. Similiter indubitata est totius Ecclesiæ sententia ex euangelica doctrina Christum fuisse crucifixum in Plenilunio, nimirùm die decimaquinta Lunæ, ipsa lumine plenissima existente, & feria 6. idest die Veneris, vt inter alios testatur ven. Beda in libro de Ration. temp. cap. 45. dum ait: *Nam quòd Dominus 15. Lunæ ferià 6. crucem ascenderit, & vna Sabbatorum, idest die Dominica resurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare Catholico, nè legi pariter, & Euangelio videatur incredulus*.

His igitur tanquàm solidæ veritatis fundamentis iactis contra prædictos Auctores; cùm Christus Dominus, vt visum est, passus fuerit mense Martio ex totius Ecclesiæ consensu, & vetustissimis SS. Patrum traditionibus, atque in die Plenilunij: Plenilunium autem paschale dicto anno Christi 33. labente non inciderit in mense Martio; ergo dicto anno 33. Christus passus non est: quòd autem non

fuerit

fuerit Plenilunium eo anno Christi 33. lab. in mense Martio, sed mense Aprilis, fatentur & supputant omnes illi, qui contra S. Ecclesiæ præfatas traditiones temerè opinati sunt Christum fuisse crucifixum mense Aprilis. Nec obstat si dicatur satis esse Christi Domini crucifixionem fuisse ea Luna, cuius Nouilunium fuit mense Martio, licet Plenilunium inciderit in mense Aprilis, quasi totus ille mensis lunaris mensi Martio possit ascribi, in quo cœptus asseritur: nam SS. Patres omnes non de Lunatione mensis Martij, sed de ipso mense Martio, & diebus dicti mensis Martij locuti sunt, non autem de Lunatione Martij, & de die decimaquarta, nec decimaquinta dictæ Lunæ, quia non ignorabant Lunationes mensis Martij frequenter esse posse non paschales, quando Plenilunia dictarum Lunationum incidunt ante Æquinoctium. Quod fit notius, quia cum SS. Patres vetustissimi Concilij Cæsareensis decreuerint Christum passum fuisse die 23. mensis Martij, sanè dies illa 23. non fuit dies vigesimatertia Lunæ mensis Martij, quia crucifixio Christi Domini non fuisset in Plenilunio, idest decimaquinta die Lunæ, pro vt verè fuit; sed fuisset die vigesimatertia Lunæ, quòd est penitùs absurdum.

Quòd verò Christus Dominus passus fuerit anno suę ætatis 34. die 23. Martij demonstratiuè probauimus per supputationes Pleniluniorũ paschaliũ plurium annorum, idest ab anno Christi 30. vsq; ad 36. ex Tabulis Astronomorum omnium insigniorum in nostro Opusculo de Inuicta Veritate, per quas cogimur, velimus vel nolimus, fateri Christum Dominum crucifixum fuisse in illo Plenilunio, quod factum est die 23. Martij hor. 5. ferè p. m Ierosolymæ dicto anno 34. Christi labente, vt plenè videre est in dicto nostro Opusculo à pag. 18. ad 27. Nec obstat, quòd dies illa 23. mensis Martij dicti anni Christi 34. non fuerit dies Veneris, seù feria 6. sed dies Martis secundum Calendarium anni ciuilis

Iulij

Iulij Cæsaris; quia ibidem probauimus, cur in Iudæa, Ægypto, & Græcia dies illa Martis fuerit dies Veneris, vt patet à pag. 75. vsq; ad 108. eiusdem nostri Opusculi plenissimè.

Ex his igitur fit præclarè manifestum, quàm rationabiliter fuerit dammata opinio modernorum Chronologorum, qui ad pauca respicientes promulgarunt post 14. secula à Passione Christi eius mortem fuisse anno 33. labente, & in mense Aprilis; inter quos primus fuit Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, vt latè refert Alphonsus Salmeron soc. Iesu dicto tom. 1. in Comment. in Euangelicam histor. Prolegom. 38. de vera Christi ætate, Assert. ij. pag. 450. versic. *Postremo loco*, ibi; *Verùm inter Tractatus Cardinalis Ioannis à Turre-cremata nondum in lucem editos, sed tantùm manuscriptos vnum inueni, qui inscribitur; In quinque Conclusiones Episcopi Abulensis de mandato Papæ à tribus Cardinalibus examinatas: prima inter eas hæc damnata erat, Dominum Iesum passum anno 33. ætatis suæ currente; secunda, Christum tertia Aprilis mortuum*. Contra quem Tostatum insurgit quoque Ægidius Bucherius in dicto Belgio Romano Ecclesiast. lib. 4. cap. 7. pag. 137. *Primò, quòd Tostatus eiusq; sectatores supponerent eam Augustini, aliorumque quorundam dumtaxat, esse etiam omnium Patrum sententiam, quod non est: Secundò, quòd Patres totius Synodi Cæsareensis, quæ anno Christi vulgari, seù Dionysiano 196. iussu S. Victoris Papæ Romani in Palæstina ad hoc ipsum indagandum coacta est, præ cæteris omnibus excutere refutareq; debebant, qui post seriā indagationem Christum decimo Kalendas Aprilis, seu Martij 23. passum, viij. Kalendas Aprilis resurrexisse definierunt; quòd veritati plenissimè respondet, si Cyclum Solis &c.* veluti etiam nos latiùs diximus in nostro Opusculo de Inuicta Veritate à pag. 49. ad 51.

Constat autem prædictum Alphonsum Tostatum fuisse

acriter reprehensum, & processatū causa huiusmodi Conclusionum ex Præfatione in 2. part. sui Defensorij ad Gutterum Episcopum Toletanum, in qua vehementer conqueritur de seueritate Patrum Dominicanorum in eo Iustitiæ Tribunali, & *quòd Defensionum copia ipsi reo denegetur; quam tamen sæpè clamosis, atq; opportunis & importunis vocibus, teste (vt ita dicam) tota Ecclesia, expoposcerat*. Patet etiam præfatum Ioannem à Turre-cremata fuisse Ordinis Prædicatorum, atq; Sacri Palatij Apostolici Magistrum ab Eugenio IV. Cardinalem creatum Anno Christi 1439. propter eminentissimam ipsius eruditionem, eiusdemq; præclara gesta, & intrepidum imperterritumq; animum, per quæ primus & postremus Fidei defensor nuncupatus est, vt latè notat Ciacconius in Historijs Pontificum Romanorum sub Eugenio IV. anno XV. sui Pontificatus pag. 1136.

Deueniamus modò ad Confutationem expositionis textus S. Lucæ in cap. 3. Euangeliorum, in quo Auctor dictę Dissertationis firmat suæ intentionis fundamentum. Vt autem statim elucescat quàm parui momenti sit eiusdem Auctoris expositio, sufficiat hoc vnum; quòd hæc interpretatio nullum alium habet Sectatorem nisi illos, qui senserunt Christum fuisse crucifixum anno ætatis suæ 33. labente, quæ opinio tanquàm erronea statim ab origine sua reiecta & damnata fuit, vt visum est. Etenim SS. Patres, alijq; Scriptores Ecclesiastici tam Græci, quàm Latini fermè innumeri, qui profitentur Christum Dominum passum fuisse anno 34. suæ ætatis labente firmant, quòd illa dictio S. Lucæ; *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*, non dirigitur principaliter ad ætatem Christi tēpore Baptismi, veluti ad pauca respiciens opinatur Auctor dictæ Dissertationis; sed dirigitur principaliter ad ætatem Christi tempore prędicationis, tanquàm ad rem grauissimam & longè grandioris consequentiæ: Et propterea expositio

positio dictorum SS. Patrum, & Scriptorum Ecclesiastico-rum est, quòd Christus post baptismum incipiens officium prædicationis erat quasi annorum 30. Dictionem autem *quasi* exponunt idem SS. Patres, inter quos S. Ioannes Chrisostomus hom. 10. in Math. non semper in sacris paginis importare diminutionem rei vel temporis, sed affirmationem; & ideò dictum textum S. Lucæ exponunt, quòd Christus post baptismum incipiens officium prædicationis erat annorum 30. completorum, quem S. Ioannem Chrisostomum sequutus est Euthimius in Math. cap. 3. & plures Græci, in quorum Canone legitur: *Si quis 30. ætatis annos non compleuerit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiamsi valdè sit dignus; quia & ipse Dominus trigesimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere*. Hanc etiam interpretationem dicti textus S. Lucæ sequuti sunt ven. Beda in lib. de ration. temp. cap. 45. & S. Bernardus in serm. de Epiph. & Lyr. Luc. 3. & Scal. lib. 6. de emend. temp. cap. 1. prope finem, & S. Ignatius Martyr, qui (vt dictum est) vixit tempore Christi, idem testatur in sua Epistola, dum secundum veram translationem inquit: *Expletis tribus annorum decadibus verè baptizatus est à Ioanne, & vbi triennium prædicauit Euangelium, crucifixus est*; vt refert etiam Card. Baronius in Apparatu ad Annales Eccles. num. 107. & 108. & sub anno Christi 31. à num. 16. ad 21. Qui Baronius eandem interpretationem sequitur, & comprobat sub dicto num. 108. per antiquum ritum, ordinem, & obseruantiam Ecclesiæ; dum in antiquo Rituali, & Ordine Romano legitur: *Expletis namque Christus quasi 30. annorum curriculis, venit in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo*. Ex quibus verbis clarè colligitur Christum ante finem Decembris, vbi explebat annum trigesimum, venisse secundum Marcum cap. 1. num. 9. & secundum Math. cap. 3. nu. 13. à Nazareth Galilææ in Bethaniam ad Ioannem in Iordanem,

nem, vbi paucis post diebus, nempè die 6. Ianuarij baptizatus est, quando Christus incœperat annum suæ ætatis trigesimum primum: & demùm Cardinalis Bellarminus in præfato suo lib. de Script. Eccles. in parte altera suæ Chronologiæ pag. 37. concludit, quòd *anno 15. Imperij Tyberij compleuerat Iesus annos 30.* adducens dictũ S. Lucæ textũ in cap. 3. Euangeliorum. Et quidem si non fuissent anni 30. Si Lucas dixisset: *Et Iesus erat incipiens quasi annos triginta*, non autem, *erat incipiens quasi annorum triginta*, quia participium *incipiens* regit post se Accusatiuum, & non Genitiuum: & ideò cùm in bona Grammatica dictio *annorum* non referatur ad verbum *incipiens*, sed ad verbum substantiuum *sum*, cui rectè competit dictus Genitiuus *annorum*, nè perperam diceretur; Iesus erat quasi annos 30. vel Iesus erat incipiens quasi annos 30. profectò dicendum, quòd erat quasi annorum 30. videlicet in fine, non in principio dictorum annorum 30. alioquin insignis esset solœcismus in hac textus euangelici interpretatione; & eò magis quia hæc interpretatio conuenit cum versione Syriaca, nempè *Ipse verò Iesus erat quasi filius annorum 30.* & cum Persica, *Et erat Iesus circiter 30. annos natus:* & cum Æthiopica, *Et sufficiebat Domino Iesu trigesimus annus.*

Remanent nonnulla dimissis cæteris tanquàm prorsus friuolis & insulsis, quæ conuincunt Auctorem dictæ Dissertationis de falsa Chronologia; & primò de erronea supputatione in dicta sua 1. Tabella annorum Imperij Tyberij desumptorum ab annis vrbis conditæ, & annorum Christi ductorum à dicto initio Imperij Tyberij: nam quàmuis præfatus Auctor benè numeret in dicta sua 1. Tabella annos ætatis Christi à die suo natali 25. Decembris anni 752. labentis ab vrbe condita vsq; ad annum 781. labentem ab eadem vrbe, tamen malè incipit in numeratione annorum Tyberij à die 19. Augusti anni 767. lab. ab

Vrbe condita, & malè quoq; desinit in eadem 1. Tabella vsq; ad annum 15. dicti Imperij Tyberij; quia series annorum ab vrbe condita, quàmuis benè applicetur ab ipso annis à Natiuitate Christi, qui cum pluribus Chronologis initium sumunt à dicto anno 752. ab vrbe condita, tamen non benè applicatur ab ipso annis Imperij Tyberij: Etenim Christus iam incœperat annum 16. à die 25. Decembris antecedentis dictum Imperium Tyberij; & propterea quando Christus erat annorum 15. & mensium ferè octo, Tyberius assumpsit Imperium, non autem quando Christus nondum erat annorum 16.labentium. Quòd autem anno primo incipiente Imperij Tyberij Cæsaris Christus esset annorum 16. labentium iam ante initium dicti Imperij Tyberij firmant plures insignes Chronologi, inter quos Cardinalis Baronius, qui refert obitum Octauiani Augusti eo anno, in quo Christus incœperat annum 16. lab. à die 25. Decembris, qui obitus Octauiani deindè contigit die 19. Augusti, quo die secundum Suetonium, & alios assumptus est ad dictum Imperium Tyberius, vt videre est etiam in Annalibus Eccles. dicti Baronij sub anno Christi 16. à num. 1. ad 7. & num. 9. & 10. cum qua Chronologia, inquit Baronius, concordat quoq; Eusebius affirmans Archelaum fuisse missum in exilium anno vltimo Octauiani Augusti, eumq; Romam ductum ante obitum eiusdem Octauiani; vndè consequitur Christum in obitu Octauiani, & in assumptione ad Imperium Tyberij fuisse annorum 15. & mensium ferè octo; idest annorum 16. incœptorum à die 25. Decembris antecedentis, non autem subsequentis post obitum Octauiani, & post initium Imperij Tyberij, vti perperam supputat in dicta sua Tabella relatiua ad annos Tyberij præfatus Auctor. Idem quoque affirmauit ante Cardinalem Baronium Ioannes Lucidus, qui in lib. 4. de emend. temp. cap. 4. pag. 39. vbi de Mo-

narchia Romanorum, eiusq; initio inquit; *Tyberius regnare cœpit mortuo Octauiano Augusto anno Christi* 16. idemque latiùs confirmat in Opusculo de vero die Passionis Christi cap. 9. pag. 181. & 182. Pariter illud idem firmat ante Lucidum Diuus Antoninus in 1. parte suæ Chronicæ tit. 6. cap. 21. §. 1. dicens: *Cœpit autem imperare* Tyberius *anno à Natiuitate Domini* 16. Demùm idipsum omninò confirmat Cardinalis Bellarminus in supradicta suæ Chronologiæ parte altera pag. 37. dum concludit, quòd *Iesus anno* 1. *Tyberij compleuerat annos* 15. Cùm ergo incęperit annus ætatis Christi 16. die 25. Decembris anni 767. ab Vrbe condita, velut etiam supputat Auctor dictæ Dissertationis in præfata sua 1. Tabella, idq; fuerit ante obitum Octauiani, & Imperium Tyberij, vt visum est: & cùm anni Vrbis incipiant, & desinant die 21. Aprilis, ac proindè à dicta die 21. Aprilis post dictam diem 25. Decembris incœperit annus ab vrbe condita 768. tunc adhuc labente dicto anno Christi 16. à quatuor ferè mensibus inchoato, nempè quantum est à dicta die 25. Decembris ad dictam diem 21. Aprilis, & nondum obierit Octauianus Augustus; sanè Imperium Tyberij mortuo Octauiano cœpit initium à die 19. Augusti post dictam diem 21. Aprilis, & propterea dicto anno 768 labente vrbis conditæ à dicta die 21. Aprilis, adhuc quoq; labente dicto anno Christi 16. ab octo ferè mensibus inchoato, videlicet à dicta die 25. Decembris præcedentis; ergo initium Imperij Tyberij non fuit anno 767. vrbis conditæ, vt perperam enumerat dictus Auctor in dicta sua 1. Tabella; & consequenter annus 15. Imperij Tyberij sub anno 781. ab vrbe condita in eadem sua 1. Tabella postremus, sed verè fuit annus 15. Imperij Tyberij sub anno 782. ab vrbe condita velut idem Auctor deindè benè supputat, sed præter intentionem in 2. sua Tabella pag. 6. per quam (vt ait) continuatur antecedens 1. Tabella.

Si

Si igitur ad maiorem veritatis dilucidationem & euidentiam velimus modò conficere Chronologiam veram à Natiuitate Christi vsq; ad eius mortem secundum Ecclesiæ fidem, & textum S. Lucæ in cap. 3. suorum Euangeliorum, concludendum est ex hactenùs demonstratiuè probatis; quòd sicuti quando erat annus 1. incipiens Imperij Tyberij Cęsaris die 19. Augusti anni 768. labentis ab vrbe condita, tunc Christus Dominus erat annorum 15. & ferè mensium octo, vt visum est: ita quoque quando erat annus 15. incipiens Imperij Tyberij Cæsaris eadem die 19. Augusti anni 782. labentis ab vrbe condita, tunc Christus erat annorum 29. & ferè mensium octo; ac proindè annorum 30. labentium, & nondum expletorum, vt legitur in dicto Euangelio S. Lucæ: propterea cum Christus Dominus fuerit crucifixus anno 18. Imperij Tyberij Cæsaris labente à die 19. Augusti, & dicta Christi Passio fuerit die 23. Martij post dictam diem 19. Augusti, vt pariter supra visum est, nempè quando annus Imperij Tyberij erat 18. à septem mensibus inchoatus; ac proindè effluxerint anni tres & menses septem ab initio dicti anni 15. Imperij Tyberij labentis vsque ad dictum annum eiusdem Imperij 17. & menses septem, idest vsq; ad dictã Christi mortẽ: si addantur dicti tres anni & menses septem dictis annis 29. & mensibus ferè octo ætatis Christi, fiunt anni 33. & menses tres ferè ætatis Christi, quando crucifixus est; & sic annus 34. à tribus ferè mensibus inchoatus, non autem annus 33. à tribus ferè mensibus inchoatus, vt Viri Mathematici, alijque in arte numerandi periti certissima, facilique ratione arithmetica colligere poterunt ex sequenti Tabella.

Tabella

Tabella Annorum Vrbis conditæ, Natiuitatis Christi Domini, & Imperij Tyberij Cæsaris incipientium à suis determinatis mensibus, & diebus; à quorum annorum, mensium, & dierum initijs datis, facili ratione arithmetica colliguntur quicumque anni, menses, & dies, qui quæruntur tùm ætatis Christi, tùm Imperij Tyberij, tùm Vrbis conditæ per enumerationem annorum, mensium, & diernm ductam à quolibet ex dictis initijs.

Anni ab vrbe condita à die 21. Aprilis incipientes:	Anni Imperij Tyberij à die 19. Augusti incipientes:	Anni Christi à die 25. Decembris incipientes.
752		1
753		2
754		3
755		4
756		5
757		6
758		7
759		8
760		9
761		10
762		11
763		12
764		13
765		14
766		15
767		16

Anni ab vrbe condita à die 21. Aprilis incipientes.	Anni Imperij Tyberij à die 19. Augusti incipientes.	Anni Christi à die 25. Decembris incipientes.
768	1	17
769	2	18
770	3	19
771	4	20
772	5	21
773	6	22
774	7	23
775	8	24
776	9	25
777	10	26
778	11	27
779	12	28
780	13	29
781	14	30
782	15	31
783	16	32
784	17	33
785	18	34

Præterea Auctor dictæ Dissertationis parùm se versatum ostendit in Chronologia rerum insignium in Mundo gestarum, nempè in ratione distinguendi, & supputandi talia tempora tam historicè, quàm astronomicè; primò dum annum mortis Christi 33. labentē firmat in vltima pag. 14. suæ Dissertationis fuisse anno Iuliano 77. cum secundum peritos Astronomos, & Chronologos fuerit anno 78. Iuliano, & annus 34. Christi labens fuerit 79. anni Iuliani, vt plenè demonstrauimus in Opusculo nostro de Inuicta Veritate à pag. 89. ad 107. & obiter pag. 56. etiam ex Scaligero, & Iacobo Hainlino. Secundò vacillantem se exhibet, dùm annum 18. Imperij Tyberij statuit in eadem pag. vlt. dictæ suæ Dissertationis fuisse annum ab vrbe condita 784. cùm verè fuerit annus 785. ab eadem vrbe condita labens à die 21. Aprilis, & dictus annus Imperij Tyberij 18. labens à die 19. Augusti, vt visum est, & etiam idem Auctor sibi contradicens firmat in secunda Tabella existente in pag 6. dictæ suæ Dissertationis. Tertiò neque peritus existit, vt sese iactat, in numeratione Olympiadum, dum dictum annum mortis Christi 33. labentem concludit in eadem pag. vlt. dictæ suæ Dissertationis fuisse anno tertio Olympiadis 202. cùm secundum insignes Chronologos omnes, ille fuerit annus Christi 32. labens; & annus quartus Olympiadis 202. fuerit 33. Christi labens, vt firmat Eusebius in Chronico anni Christi 33. labentis adducens Eclipsim horrendam Solis, quam vidit Phlegon egregius Olympiadum supputator anno quarto Olympiadis 202. eandemq; Olympiadem anno quarto 202. cum Eusebio notat Salianus soc. Iesu in Annalibus Ecclesiasticis sub anno Christi 33. & Ricciolus soc. Iesu in Cathalogo Eclipsium cap. 18. & 19. lib. 5. Almag. sui pag. 367. sub anno Christi 33. & Ioannes Lucidus in Opusculo de vero die Passionis Christi cap. 9. pag. 181. & 182. eandemque


demque Olympiadem 202. anno quarto numerat Auctor dictæ Chronologiæ Christianæ, asserens Christum fuisse passum anno quarto Olympiadis 202. licet vterque sentiat Christum fuisse crucifixum anno ętatis suæ 33. labente; & de dicta Eclipsi Phlegontis latè diximus in Opusculo nostro de Inuicta Veritate à pag. 53. ad 56.

Cùm ergo ambo hi nouissimi Auctores gratis suscitauerint post editum à nobis dictum Opusculum de Inuicta Veritate hanc opinionem, quòd Christus Dominus passus fuerit anno 33. labente suæ ætatis, non autem anno 34. contra communissimam SS. Patrum, Scriptorumq; Ecclesiasticorum sententiam; ità vt nonnulli moderni mirentur, qua fronte hoc impugnari possit, cùm id tot tantique Auctores hoc præsertim tempore sententijs antiquorum diligenter consideratis doceant, inter quos (vt alios omittam) est Henricus Philippi in suo lib. de Quæst. Chronolog. cap. 21. pag. 93. Et quòd peius est, nulla penitùs moti neque ducti noua ratione, & probatione historica nec astronomica, adhærendo absurdę opinioni Alphonsi Tostati, quæ statim ab ipsis sui primordijs damnata fuit ab Ecclesia, & ille acriter reprehensus, vt supra visum est; & cuius opinionis sectatores plerique sunt hæretici, quorum aliquos indicauimus in Opusculo de Inuicta Veritate pag. 51. & 52. spernendo præfatam damnationem, & negligendo Sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam fidem hanc tenentem, vt testatur ven. Beda in libro de ration. temp. cap. 45. & cum eo Cardinales Baronius, & Bellarminus superiùs allegati; & dissimulando huius veritatis euidentiam per astronomicas probationes certissimas demonstratam in nostro Opusculo de Inuicta Veritate à pag. 18. vsque ad 27. Et vnico verbo cognitam hanc veritatem obstinatè & insipienter impugnantes, qua correctione & reprehensione ad euitanda scandala, nec non ad aliorum exemplum

coercendi ſint, omnes norunt. Exurge itaque Deus, deſcende & vide; agitur enim de tempore Redemptionis & reparatæ ſalutis humani Generis, quam mirum in modum ſignificare dignatus es in exitu Iſrael de Ægypto: defende cauſam tuam, vt Populus tuus ſciat excelſam Incarnationem, & glorioſam Reſurrectionem tuam, earumque incomprehenſibilis Myſterij tempus te ab æterno decreuiſſe ſub vno eodemque die, nempè 25. menſis Martij; nec non admirabilem Aſcenſionem tuam in Cœlum, & diù exoptatam Inuentionem Sanctæ Crucis, in qua Saluator Mundi factus es, te pariter ab æterno voluiſſe ſub vna eademque die, nimirùm 3. menſis Maij, vt in his duobus fœliciſſimis diebus Populus tuus ſolemniter celebret miſericordias tuas in memoriam ſempiternam.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs.P.Mag.Sacri Palatij Apoſt.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Viceſg.





Imprimatur

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apoſt. Magiſt.

ROMÆ, Kalend. Auguſti M. DC. LXIX.

Ex Typographia Angeli Bernabò. *Superiorum permiſſu.*


161




CB